

IANI PELVSII
CROTONIATAE
ORATIO HABITA

In Nuptijs illuſtriſsimi
Comitis
RENATI BORROMAEI,
& illuſtriſsimæ HERSILIAE
FARNESIAE.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA



PARMAE.
Apud Seth Viothum. 1579.
Conceſſu Superiorum.

IANI PELVSII
CROTONIATAE
ORATIO HABITA
In Nuptiis illuſtriſſimi
Comitis
RENATI BORROMAEI,
& illuſtriſſimae HERSILIAE
FARNESIAE.



PARMAE.
Apud Seth Viothum. 1579.
Conceſſu Superiorum.

ILLVSTRISSIMO COMITI Renato Borromæo Ianus Peluſius Crotoniata. S. P. D.

MOs fuit antiquorum, vt cum donis ad nuptias venirent: hinc legimus Peleo, & Thetidi deos ſua munera contuliſſe. Plutonem ſmaragdum inſignem, Neptunum equos Xanthum, & Balliam, Vulcanum cultrum, & cæteros alia, quæ perlongum eſſet enumerare. Cum animo meo cogitaui, quodnam munus Comes illuſtriſſime ad te mitterem, quod in communi omnium lætitia, hoc celeberrimum orbis terrarum ſpectaculum ex aliqua parte decoraret. Non enim minore plauſu nuptiæ tuæ in Placentina urbe, quam olim Pelei, & Thetidis in Theſſalia celebratæ sũt. Nã quemadmodũ ad illas oẽs dij præter Diſcordiã, cõuenere: ſic ad has tuas omnes Galliæ Ciſalpinæ proceres, atq; Italiæ principes confluxere. Ingenij vires excuſſi, & trium dierum ſpatio, hanc

orationem, & nuptialia carmina compoſui: quæ nomini tuo dedico, muneriq; mitto. Vt ego aliud munus tibi dare nō potui, quia aliud dare tenuitas mea non patiebatur: ſic ipſe aliud à me habere non debuiſti, quia cum bonarum artium ſtudia ames, literatorumq; virorum ſis apprime ſtudioſus, alio non debuiſti, quam litterario munere honorari. Accipe igitur Crotoniatæ vatis, & oratoris munuſculum leuidenſe, eius in te amoris pignus, & fidei monumentum. Si tuarum aurium limato, & polito iudicio non ſatisfecerit; αὐτοσχεδίως factum eſſe putabis, & ab homine occupatiſſimo. Si gratum tibi fuiſſe cognouero: Anacreontici mei qui in arca clauſi ſeruantur, in tuo nomine propediem apparebunt. Vale. & da operam, ut ex tua pudiciſſima, et ſpecioſiſſima vxore breui prole ſuſcipias, quæ non modo patriæ tuæ Mediolano, ſed etiam vtriq; Heſperiæ ſit ornamento. Parmæ. Idibus ſextilis Anno ſalutis noſtræ. M.D.LXXIX.

CAROLVS GLORIERIVS Romanus Ad Ianum Peluſium Crotoniatam.

PEluſi oſtendis te natum iure Crotone,
Nā ſolet hæc magnos urbs generare uiros.
Rhetor es,& vates toto celeberrimus orbe,
Et ſunt quæ ſcribis dulcia melle magis.
Perge igitur decorare tuis virtutibus orbem,
Sæpeq; da medio ſcripta legenda foro.
Nam regio in terris nulla eſt habitabilis orbis,
Quæ non ingenium tollat ad aſtra tuum.

IO. IACOBVS FOSSANVS Romanus Ad Ianum Peluſium Crotoniatam.

CVm ſis Vergilio par carmine Iane Maroni,
Eloquio vero non Cicerone minor;
Iure idem vates,& rhetor diceris:imples
Nanq́, oratoris,vatis & officium:
Te celebris totum terrarum fama per orbem
Tollet:& in terris laus tua ſemper erit,

PELVSIVS
Candido lectori ſalutem.

SIQVID *humaniſſime lector & in hac, & in altera mea opella inueneris, quod aut à Latinitate abhorreat, aut tui ſtomachi nõ ſit, pro tua humanitate, æqui, boniq; conſules, putabiſq; nullũ eſſe tam Lyncæum, qui aliquando non offendat, in longa præſertim oratione. Cum priſci illi celeberrimi vates, ſummiq; oratores in multis defeciſſe deprehendantur. Nam Vergilius, & Cicero, quorum alter poëtarum, alter oratorum princeps ſine controuerſia habetur, multa vulnera à Momis, Zoiliſq; accepere. Hæc omnia quæ à me edita ſunt, temporis anguſtijs excluſus, neq; ad Ariſtophanis, neq; ad Cleãtis lucernam elucubrare potui. Nam ne occaſio in qua meum elucere potuiſſet ingenium, mihi eriperetur, omnia ex tempore propemodum feci, maluiq; in certiſſimum fa-*

mæ diſcrimen venire, quàm bene agendi tempus oblatum prætermittere: Si minus probabuntur, excuſet me quæſo temporis exiguitas, qua effuſa ſunt. Non deerunt (vt conijcio) qui inuidiæ ſtimulis exagitati, noſtros hoſce labores calumniabuntur, ſed calumnientur licet, huiuſmodi ego calumniatorum calumnias tanti pendo, quanti aut paſtoris clamorem lupus, aut culicem elephantus. Cum ea quæ aut miniatula cera, aut atro carbone notarint, innotuerint, illorum petulantiam facile coercebo: præſtaboq́ hos ignauos homunciones de illorum litteratulorum grege eſſe, qui cum iactatorum more, omnia ſe poſſe iactent, cum ad rem ventum eſt, atq; aliquid ſcribere aggrediuntur, vix vltra tria, aut quatuor verba progreſſi, in Solœciſſimum turpiter incidunt, atq́ infantiſſimi reperiuntur. Vale. Parmæ. XII. Cal. Septembris. Anno ſalutis noſtræ. M. D. LXXIX.

IANI PELVSII CROTONIATÆ ORATIO HABITA IN NUPTIJS Illuſtri.mi Comitis RENATI BORROMAEI, & Illuſtriſ.mæ HERSILIAE FARNESIAE.

QVis vnquam ſatis pro merito Placentini viri matrimonium laudauerit? quis eius vtilitatem verſu, aut ſoluta oratione, pro dignitate explicauerit? Si ab Inferis excitaretur eloquentiæ parens Cicero, aut ab eiſdem reuocaretur Epicæ poëſeos fons Homerus, & ambo certatim de hoc ſanctiſſimo ſacramento ſcriberent: tanto oneri illorum vires pares nequaquam eſſent: nam quanto plura de illius excellentia, præſtantiaq́, dicerent: tanto plura dicenda ſupereſſent. Id ita eſſe, vos qui ingenio, iudicio, & ſapientia præſtatis, iam iudicare poteritis. Attentiſſimis animis audite, ego ut enarrator, rem ipſam vobis quam breuiſſime potero, exponam: vos eritis iudices. Si matrimonij authorem inſpicimus, e ſacris litteris, ex quibus veritas omnis in lucem profertur, deum eſſe cognoſcimus: at quem deum? qui vniuerſam hanc machinam, quē mundum appellamus, incredibili ſapientia regit, & gubernat, & omnia quæ intra cæli ambitum continentur, ex nihilo procreauit. Nam Hymenæus, & Thalaſſio qui nuptijs præeſſe dicuntur, tantum abeſt, vt dij fuerint, vt magis à vero abeſſe non poſſit; fuerunt enim homuncio-

nes,

nes, & morti ſubiecti, quemadmodum & nos; ſed varijs erroribus deluſa gentilitas, eos pro dijs coluit, atq; boni ominis gratia, modulatis carminibus, in nuptijs vt felices, propitijq; eſſent, inuocabat. Sed de his, & cæteris falſis antiquorum dijs, alij quibus plus eſt ocij, exactius quærant, fuſiuſq; tractent; nos (vt par eſt) inſtitutam de matrimonio orationem perſequamur. Poſt rerum omniũ creationem, deus omnipotens Adamum primum hominem ex limo terræ effinxit, & ne inamænam, & inſuauẽ vitam ſine ſocia duceret, ex eius oſſibus Euam primam noſtram matrem conformauit, eamq; illi vxorem dedit, præcepitq; ambobus, in multitudinem creſcerent, terramq; implerent. Atq; vt ſciret vir, quanto amore vxorem ſuam complecti deberet, propter hanc inquit, relinquet homo patrem, et matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ. Cum res ita ſit, nemini veſtrum dubium eſt, quin bonum, & laudabile ſit matrimonium; cum deum rerũ omnium opificem habeat authorem, & filiorum ſuſcipiendorum cauſa, ſit in orbem introductũ. Nunc paucis oſtendã, eſſe homini maxime neceſſarium. Si matrimonium ad prolis propagationem, non ad explendam libidinem, fuit inſtitutum, quis non videt, ſine eo, homines aut peſte, aut bello, aut aliquo mortis genere, breui interituros? Dicet aliquis, maris & fœminæ coniunctio, ſine coniugali vinculo fieri poteſt: fieri poteſt, non inficior. Sed Dominus noſter Ieſus Chriſtus voluit, vt omnes ex legitimis nuptijs naſceremur. ut bonorum paternorum, & fortunarum, quibus nothi, & ſpurij legibus priuantur, veri, certiq; hæredes eſſemus. Zeno, Chryſippus, Diogenes, & Plato uxores, liberos,

beros, reſq; omnes communes ſtatuere. Idem fecere Nomades, & Scythæ: ſed horum opinio ut inconueniens, inutilis, indecora, & minime probabilis, inexpugnabilibus rationibus eſt ab Ariſtotele in politicis confutata. Si enim iuxta horum philoſophorum iniquas ſanctiones, mulieres in commune relinquerentur, præterquam hinc inteſtina odia, graueſq; offenſiones gignerentur, & ab optimo reipub. ſtatu longe abeſſemus, nihil a feris quarum promiſcuus eſt concubitus, differemus. Vnus enim cum pluribus rem haberet, una plures experiretur. Itaq; dum communem amicitiam, quæ nuſquam eſt, quæreremus, naturalis quæ nobiſcum genita eſt, penitus diſſoluere tur. Ducimus enim uxorem, non modo fœtus procreandi cauſa, sed ut conſortem vitæ habeamus, quæ in rebus aduerſis præſto ſit, dolentem uirum conſolatione leniat, ægrotanti fomenta paret: In ſecundis, parem cum illo uoluptatem capiat, e foro redeuntem obuijs ulnis excipiat, in uillam proficiſcentem bonis ominibus proſequatur, & deniq; utriuſq; fortunæ particeps fiat. Præterea ſi uxores (ut illi voluere) communes eßent, liberi parentibus eſſent incogniti, uitamq; in rixis, diſcordijs, & perpetua pugna ageremus, et homines belluis eßent perſimiles, quę tandiu catulos ſuos dignoſcunt, quandiu illos uberibus alunt: depulſos lacte, prorſus ignorant. Hinc ſæpenumero uſu uenit, ut filius cum matre, frater cum ſorore coëat. Quod indignum facinus homines qui rationis ſunt participes, grauiter deteſtantur, & quodlibet atrociſſimum ſupplicium mallent pati, quam tam turpe flagitium admittere. filios à ſe genitos nunquam negligunt, ſtudioſe

alunt,

alunt, fouent, amplexantur: nihilq; habẽt antiquius, quã cum illis de aliqua re utili colloqui, & confabulari: Quod cum ſit; haud ſcio, an quicquam dulcius, ac iucundius illis accidere poſſit. Nec hoc in loco Mahometanos audiendos arbitror: qui Aegyptios ſecuti, pro opibus, & voluntate plures ducunt uxores: nam hęc lex tam turpis, & perniciosa eſt, quam Mahometes, qui illam tulit. Tollit enim ſanctæ amicitiæ munus, efficitq; ut nulla concordia inter uirum, & uxorem eſſe poſſit. Nullo enim pacto fieri poteſt, quin aſſidue (ut mos eſt fœminarum) inter se pro uiro quantumuis deformi contendant, rixentur, ad manusq; ueniant. Quanto rectius egiſſent, ſi Chriſtianos imitati, unam uxorem in matrimonio haberent, nã Chriſtus noſter redemptor, uerus deus, uerusq; homo, iubet, ut unus uir unam tantum ducat uxorem, cum de utroq; loquens, ait, erunt duo in carne una. Sed quid ago? quo me transuerſum rapit dicẽdi uis? nõ insanire uideor? qui rem quam primum Chriſtus inſtituit, deinde Natura sanxit, mox homines legibus approbarunt, rationibus, & exemplis confirmare nitor? Quare hæc ut & certiſſima, & ueriſſima miſſa faciamus, & quanti Græci, & alij populi matrimonium fecerint, aperiamus. Lycurgus qui poſt Polydectis fratris mortem, apud Lacedæmonios regnauit, lege cauit, ut ſi quis uxorem ducere recusaret, hac ignominia notaretur, ut hyeme, sæuiente uento, nudis pedibus, et aperto capite, per forum ambularet, & à ludis, & ſpectaculis publicis arceretur. Romani eos qui coniugij ſuauitatem, & dulcedinem experiri noluerant, hac pœna multarunt, ut quotannis huius pænæ nomine nummos in ærarium

rium ferrent, nulliſq; honoribus fungerentur. Iuſte Aedepol, et prudenter, & Græci, & Romani in hos animaduerterunt, nam per eos non ſtetit, quo minus hominum genus interiret, cum ea quæ a maioribus tradita sunt, poſteris reddere denegarunt. Eandem ob causam arbitror, Numam regem alioqui & pium, & religionis seruantiſſimum, permiſiſſe, ut uirgines Veſtales poſt exactum trigeſimum ætatis annum, nubēdi facultatem haberent. Age uero quanto honore Chriſtus coniugium eſt proſecutus? primum e matre virgine, ſed uiro Ioſepho matrimonio colligata, naſci noluit; atq; in nuptijs ſuæ diuinitatis prima ſigna oſtendit, cum ad preces ſuæ ſanctiſſimæ matris aquam in ſuauiſſimum uinum conuertit. Quis non admiretur? quis non obſtupeſcat? Ieſus naturæ deus, & rerum omnium conditor, cum in multis rebus ſuam diuinitatem pateſacere potuiſſet, in nuptijs primum maniſeſtare noluit, quamobrem? niſi ut intelligerent homines, rem ſanctiſſimam, & uenerabilem eſſe matrimonium? Quæ gēs, quæ natio in terris tam fera, & barbara eſt? quæ matrimonij vinculum, ſanctiſſimum non eſſe duxerit? Parthi homines immanes, matrimonij iura non ignorant: Britanni à nobis toto orbe diuiſi, eadem ſumma cū religione colunt: Thraces inuiolata conſeruant: Arabes ſanctiſſimà eſſe fatentur. Siquis uero rerum naturam ſcrutari, atque eius arcana introſpicere uoluerit, aues, & feras inueniet, quæ coniugij ſpetiem, & ſimilitudinem ſeruare uideātur. Columbi ſuam quiſque vxorem agnoſcunt: coniugijq; fidem non uiolant. Cornicum quæ auſpicatiſſimum nuptijs augurium faciunt, maximæq; fidei, & inuiolati fœderis

exem-

exemplum ſunt, ea ſocietas eſt, ea indiſſolubilis amoris copula, ut ex duabus ſocijs, altera extincta, uidua altera perpetuo maneat. Idem facere aiunt turtures. Nam Lynces (ut apud bonos authores reperio) poſt amiſſam coniugem, alijs non iunguntur. Elephanti qui pudore nunquã niſi in abdito coeunt, nec adulteria nouere, nec prælia ꝓpter fœminas inter ſe faciunt. Leones feræ ſæuiſſimæ in leænas ſumma ſunt manſuetudine, & lenitate. Tigres dũ catulis ſuis opem ferre poßint, ardentiſſimos ignes ſubire non uererentur. Sed ut a feris & auiculis ad arbores me conferam. In Campania quã opus gaudentis naturæ Plinius appellat, uites ulmis copulantur, alijs ſociatæ arboribus, uuam non ferunt. Nonnulli etiam fide digni authores memoriæ prodidere, palmam quæ uictoribus in præmium uictoriæ datur, nullum ferre cultoribus fructum, niſi ſociam coniugem e conſpectu habeat. Terra ipſa quæ ſuis frugibus omnes alit animantes, niſi ab Aethere marito (ſic enim illum Stoici appellant) ſit imbribus irrigata, inſtar infæcundæ, ac ſterilis mulieris, nullum educat fœtum: ex quo ſumma inopia, & rei frumentariæ caritas conſequitur. O admirabilis matrimonij uis, ò nunquã ſatis laudata matrimonij religio, ò ſanctitas matrimonij omnium laude, prædicatione, litteris, monumentisq́; decoranda, quam non modo animalia rationis expertia, ſed ipſæ etiam plantæ ſentiunt, & uenerantur. Ducenda eſt igitur uxor, ut commodius uitam degamus, atq́; ea quæ nos foris induſtria, & labore comparauimus, intra priuatos parietes ab illa diligentiſſime cuſtodiãtur. Nam Ariſtoteles ita indecorum eſſe putat, quæ extra parietes

ſunt, fęminas quęrere: ut quę intra parietes ſunt, uiros diſpenſare. Partiantur igitur hanc inter ſe curam, ut uiri foris, mulieres domi, ad familię utilitatem exerceantur. Quę conſuetudo optime ſeruatur a Gręcis, apud quos (vt Pauſanias ait) noua nupta nuptiali curru ad ſponſum vehitur, ante cuiꝰ fores, axis à parocho crèmatur, ut intelligat, ibi illam perpetuo manſuram: neq; ulla tempeſtate inde receſſuram. Quod ſi contigerit, ut caſtam, pudicam, & ex animi noſtri ſententia, uxorem nanciſcamur, quis illud Gręcorum nobiſcum non canat? ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον. quod eſt, effugi malum, inueni bonum. Si uero quales nolumus, filios pariat, & pulchra (ut inquit Vergilius) faciat nos prole parentes, quæ felicitas, aut beatitudo, hac maior poteſt in orbe terrarum reperiri? quid enim dulcius, aut delectabilius, quam in filijs quodammodo renaſci? & paternam imaginem in illis intueri? nam filius imago patris eſt, atq; ea patri reſtituit, in ſenectute, quæ ab illo in infantia accepit: nam illum ſenio confectum, uiciſſim alit, infirmum, inualidumq; ſuſtentat: quemadmodum illum parens in prima eius ætate educauit, humiq; reptantem ulnis ſuſtinuit. Quis non videt æquiore animo mortem ferre eos, qui ex hac vita migrantes, filios relinquunt, per quos uiui poſt obitum reſeruentur: quam eos, qui ſine progenie morientes, ſecum ſui generis ruinam trahunt, & ne ueſtigium quidem vitæ ſuæ inter mortales relinquunt? Bene igitur faciunt, qui cum ad iuſtam ætatem adoleuerunt, vxorem ducunt, ut ex ea prolem ſuſcipiant, quæ patris memoriam, & ſtirpem intermori nunquam ſinat, naturæ reſtituat, quod mutuo

acce-

pit, vt pote vitam ſuis filijs det, quam illi parentes tribue runt. Sed quoniam ſatis multa de matrimonij iucundita te, & delectatione dicta ſunt, pauca de eius ſanctitate, et religione dicamus. Apud Hebræos adulteri lapidibus obruuntur. In Tenedo capite mulctantur. Persæ quo firmior eſſet matrimonij ſocietas, grauiſſime in adulteros animaduertebant. Lege Iulia quam Iulius Cæſar uir æquiſſimus tulit, nulla ſeueriore animaduerſione coercita ſunt, quam adulterij crimina: quibus obnoxij, capite plectebantur. Tiberius pęnam grauiorem adulteris ſanxit, nā prę terquam eos capitali pęna afficiebat, propinquis adulterę ultra ducenteſimum lapidem exilium indixit. Apud Germanos adultera exciſis crinibus, à viro domo expellitur, & per totum pagum circumducta, uerberibus afficitur. Zeleucus Locrenſis, et Pythagorę diſcipulus, vtroque oculo multauit adulterum: Opilius Macrinus adulteros tam perniciali odio proſecutus eſt, ut deprehēſos ignibus cremaret. Legimus ob violata matrimonia urbes funditus euerſas eſſe: nam Agamemnon ut Parim adulterum, Menelaiq; fratris iniurias ulciſceretur, Troiam cum tot millibus Gręcorum pertinaci obſidione obſedit, neq; ab ea diſcedere uoluit, priuſquam illam culmine diſiectam vidit. Proinde inique, atq; iniuſte veteri ſcito apud Romanos cautum erat, ut maritus vxorem in adulterio deprehensam impune necaret; illa ſi uir męcharetur, indicio agere non poſſet. Eādem iniquitatem, & iniuſtitiam lex illa Solonis ſapere uidetur. quę ad hūc modum ſancita eſt, Si uir vxorem in adulterio deprehenderit, occidito: ſi vxor virum, ne digito eum attingito. Quę lex cum

olim in cætu matronarum recitaretur, quædam quæ cæteris ætate, & ſapientia anteibat, ridens dixit, plane mulieres quo tempore hæc lex lata eſt, concilio virorum non aderant, nam ſi affuiſſent, legem hanc tã iniquam, & in ſexum noſtrum graſſantem, ferri nullo modo permiſiſſent. Iniqua etiam lex illa apud Aegyptios habetur, quæ marem in adulterio deprehenſum verberibus cædi iubet, fœminas vero naſo mutilari, vt ea parte plecterentur, qua magis facies honeſtatur. Merito legem hanc vituperat Diodorus, nam nupta, ſponſuſq; iugum pariter ferre debẽt, quare apud Latinos Iuno iugalis dicta eſt, quod æquiſſimo iure, & concordibus animis necterentur, ſocietaſq; & communicatio vitæ, eadem utriq; eſſet. Hæc omnia cũ pro ſua ſingulari prudentia conſideraſſet illuſtriſſimus Comes Renatus Borromæus, uxorem eam ſibi adiunxit, in qua eſſent quinque illa, quæ in deligenda vxore requiruntur. Genus, mores, forma, ætas, dos. Quæ omnia qualia ſint in Herſilia virgine, ſigillatim perpendamus. Primum ex nobiliſſima, & admodum uetuſta ſtirpe nata eſt, cuius fama, & nomen nullæ nationes tam à regione noſtra remotæ ſunt, quas non adierint. Quibus enim gentibus, aut populis in toto orbe terrarum ignota, aut inaudita eſt illuſtriſſima Farneſiorum familia? ex qua proceres, & heroes omni virtutum genere florentiſſimi, multo plures prodiere, quam ex perantiqua Cæſarum domo, quos ſi vellem numerare, præterquam vox, & latera me deficerent, & meam dicentis facultatem ſuperarent, ante diem clauſo (vt de ſuis malis dixit Aeneas) componeret veſper olympo. Vnus tamen ſilentio inuoluendus non eſt

Illu-

illuſtriſſimus Octauius, veſter, & Parmenſium Dux, & Herſiliæ virginis pater, cuius bellica uirtus in multis bellis, & in Parmenſi obſidione præcipue emicuit. Prætereo munificentiam, quæ regibus, & magnis viris ingenti eſt ornamento, hac enim Cymonem Athenienſem, Pythium. Lydum, Porſennam Ethruſcorum regem, Alexandrum magnum, & omnes, qui liberaliſſimi fuiße dicuntur, longe ſuperat. Tranſeo grauitatem. Omitto religionem, & ſanctitatem, in qua cum bona Italorum, atq; externorum Principum venia dictum ſit, principatum obtinet: & ne uos quibus hæc omnia notiora ſunt; quam mihi, longa oratione morer: ſi totum orbem terrarum peragrarem, principem qui ex omni parte ſit cum eo conferendus, nuſquam profecto locorum inuenirem, qui Ageſilai fide, Cæſaris humanitate, Ariſtidis iuſtitia, & Veſpaſiani munificẽtia decoratus, inculpatiſſimam degit uitam, & a maiorum ſuorum veſtigijs, ne latum quidem vnguem diſcedit. Ab hoc nata parente Herſilia, ab ipſis crepundijs, optimis moribus, & ſanctiſſimis inſtitutis educata; in bonis diſciplinis plurimum profecit. Nihil unquam dixit, aut fecit, quod potuiſſet ab aliquo improbari: nam vt ingenui animi heroina, nihil magis curauit, quam vt ab omnibus bene audiret: Cum puellari venuſtate, & pudore, ſenilis quędam grauitas, & maturitas creuit, itaque tantam ſibi laudem in hac parte comparauit, vt poſſit de pudicitia, et honeſtate cum qualibet honeſtiſſima, & pudiciſſima muliere concertare. Nam hac in re ea longe inferior reperiretur Alceſtis Admeti, Penelope Vlyſſis, Turia Q. lucretij, Sulpitia lentuli, Cornelia Graccborum,

& lucretia deniq́, Collatini, quæ vitam pro pudicitia dimittere non dubitauit. Formam ſortita eſt elegantiſſimam, nam quācunq́, corporis partem inſpicimus, venuſtatem ſupra humanam conditionem refert. Coma auro perſimilis eſt:oculi ſideribus:frons ebori;genæ roſis:malæ purpuræ:labra corallijs:et ne ſingulas partes cōmemorē, tota corporis conſtitutio, eſt adeo ſuis numeris abſoluta, & Gratijs exornata, vt aut Phœbi ſoror, aut Nympharum ſanguinis vna eſſe videatur. Iouis lapidem liquido iurarem, Helenā quam mulierū ſuæ ætatis pulcherrimam fuiſſe perhibēt, huic parem nullo pacto fuiſſe. Neque vero eas imitatur puellas, quæ vt pulchriores videantur, ceruſſa, purpuriſſo, alijſq́ pigmentis ſuam faciem pingūt, & colorant:quæ quidem cum non vt lanæ infectæ perpetuum ſeruent colorem, ſed vna ablutione facile deleātur, puellæ quæ illis utuntur, ad priſtinā formam non ſine ſpectatorum riſu, & irriſione redeunt. Suas illa merces (vt ait Horatius) ſine fuco geſtat, eiuſq́, venuſtas, & pulchritudo eſt ſecum nata, non cōmentitijs coloribus accerſita. Hos ego calamiſtros, et myrothecia ſummopere improbo, Quid enim turpius, atq; indecentius? quam vt mulieres faciem quam non habent, induant? quam habent, deponant? atq; oſtendant, ſe alias eſſe, quā re vera ſunt? Quod faciunt tragædi, qui cum in ſcena, & theatro regum perſonam ſuſtineant, paulo poſt mendici in popinis, & ganeis deliteſcunt. Siquis mihi velit auſcultare, hæc turpis fucādæ formæ ratio, & turpiſſima mulierum conſuetudo, nullo negotio poſſet aboleri. Si iure ſcripto prohiberetur, nequis huiuſmodi pigmenta vendere, aut in vrbeis impor-

tare auderet. Crotoniatæ quos honoris cauſa nomino; cũ uiderent, uinum non habere gubernacula, mẽtiſq; indicem eſſe, vt ſpeculum formæ, primi omnium (vt ait Athenę⁹) legem in ſua patria tulerunt, ne mulieres vinum biberẽt; quæ lex adeo placuit, vt eam poſtea non modo Roma vrbium regina, & totius orbis terrę domina, verum etiam tota Italia amplecteretur. Seruatur adhuc Crotone, et in toto Magnę Græciæ tractu integra à mulieribus, nam ſi quã vinum bibere reſciſcunt, tanquam infamem, & impudicam à familiaritate, & conſuetudine aliarum arcent. Spartani, vnguentorum artifices, quod oleum corrumperent, lanarumq; infectores, quod illarum candorem cognoſci non paterẽtur, e ſua vrbe pepulerunt. Eiecit & Solon Athenis τοὺσ μυροπώλας, hoc eſt, vnguẽtorum venditores, vt urbi minime neceſſarios. Principes Chriſtiani Crotoniatis, Spartanis, & Solone, ingenio, iudicio, & ſapientia non inferiores, dulce, & decorum eſſe putant, huius ætatis mulierculas crocodili ſtercore faciem fucare, pigmẽta olere, & (vt facete admodum in ſatyra ſexta refert Iuuenalis) miſeri viſcari labra mariti. Quanto rectius agerent, ſi lege lata, his pigmẽtis mulieribus interdicerẽt; & hunc morem tam iniquum ex vrbibus eijcerent, atq; e ſuis finib⁹ exterminarẽt. Ignoſcite mihi matres, ſi hęc ego veſtra ornamenta non recipio, vobisq; in hac re quã maxime poſſum, repugno. Veſtræ ſaluti (quod vos ignoratis) conſulo, cõmodisq; veſtræ valetudinis inſeruio. Nã ex his venenis, quibus naturam deturpatis, rugæ ante tẽpus vobis faciem arant, oculi caligant, dentes nigriores fiunt, veſtraq; anima (vt interdum cum Plauto loquar)

tam grauiter olet, vt non modo quiſpiam uos exoſculari, ſed ne prope quidem aſſidere poſſit. Sed redeat iam oratio ad narrationē, quam neceßaria hac digreſſione reliquerā. Annos nata eſt quindecim, quam ætatem Heſiodus, & Xenophon nuptijs aptiſſimam eſſe iudicarūt, Nam Ariſtoteles duodeuiginti annos natas puellas viro locandas cenſet, Lycurgus cum Ariſtotele ſentit, ſed hęc triū annorum differentia nihil eſt, cum nemini ſit obſcurum, vtrāq; ętatem ad procreandam prolem eßе perfectiſſimā. De dote, quę & ſi permagna eſt, nam quinquaginta millia nummum aureorum excedit, nihil laborandum eſt, ubi bonę diſciplinę, modeſtia, pudicitia, et reliquę virtutes, et matronarum ornamenta ſuppetunt. Quod intellixiße mihi videtur Alexander magnus, qui Darij filiā quamuis dotem haberet regni partem, & magnum auri pondo, contempſit, maluitq; ſine dote ducere Barſynen regio quidē genere ortam, ſed inopem, & litteris Gręcis optime eruditam. Hac opinione duct⁹ Lycurg⁹ Spartanus inſtituit, ſine dote vxores duci, vt viri virtutem coniugis, nō opes quęrerent, & fęminę ad comparandas bonas artes ſtudioſiores eſſent. Summa etiam cum ratione factum eße cenſeo, vt iure ſcripto apud antiquos uetaretur, ne in nuptijs uir ab uxore, aut vxor à viro munuſcula acciperet, nefas enim exiſtimarunt, quos legitimus amor coniūxiſſet, donis uideri potius allici, quam coniugali amore conciliari. Quam felix, & beatus inter ęquales tuos es illuſtriſſime Comes Renate cui fatis ita volentibus, conceßū eſt, vt tam pudicam, & formoſam puellam, ex tam illuſtri ſtirpe procreatam, omnibus deorum muneribus ornatam,

natam,& tot procis expetitam, tibi coniugio copulares?
Sed Mehercule tua egregia virtus, et mores Pythagora,
& Catone digniſſimi,non aliam coniugem poſtulabāt. Vt
libere dicam quæ ſentio, neq; Tu alia coniuge dign⁹ eras,
neq; illa alium virum expetere debebat: nam in vtroq;
ſunt omnia, quæ in huiuſmodi re ab optimis parentibus
poſſunt deſiderari. Certo ſcio te illam multo plus amaturum,quam M. Plautius Horeſtillam: Tiberius Gracch⁹
Corneliam: Antoninus Pius Fauſtinā: Cyanippus Theſſalus,& Aemilius Sybaritan⁹ vxores ſuas,quorū vterq;,cum à canibus in ſylua dilaniatas conſpexiſſet, ob doloris impatientiam, mortem ſibi conſciuit. Reſpondebit illa
uiciſſim tibi in amore,teq; multo plus diliget, quam Panthea Abradatam: Phila Demetrium: Triaria Vitellium:
Portia Brutum: Iulia Pompeium: & Artemiſia Mauſolum. Nam turpe ſibi putabit, à uiro in amore ſuperari.
Quam vero proſperis auſpicijs hoc contractum ſit matrimonium, hinc facile poßumus dijudicare. Eo ipſo die,quo
firmatum eſt. Hiſpanorum rex sereniſſimus Philippus Comiti Renato arcem reſtituit, quam ei ſuperioribus annis
ademerat,ob diſsenſionem neſcio quam, quæ inter ipſum,
& illuſtriſſimum Carolum Borromæum Cardinalem .S.
Praxedis exorta fuerat. Quod ego quidē(ſi homini Chriſtiano diuinare licet)id portendere auguror. Herſiliam
illic cum ſuo viro feliciter regnaturā, liberoſq; paritura,
qui Regis fidem conſtantiſſime ſequantur. Idem propemodū omen Numæ Pompilio euenit, nam eodem die, quo in
Sabinis natus eſt,Roma fuit à Romulo cōdita,in qua ipſe
poſtea ad imperium e patria mea Crotone (vt vult inge

nioſus pöëta Ouidius) accerſitus, ſecundus à conditore legitime regnauit. Cuperem viri Placentini hodierno die mihi aut Demoſthenis eßet facundia, aut Ciceronis eloquentia, vt nuptiarum pompam, apte, diſtincte, & ornate poßem explicare. Ad quam ſpectandam tantã omniũ ordinum, atq; ætatum, e pagis, & oppidis uicinis confluxiſſe video multitudinem, vt illam vrbs veſtra opibus, magnitudine, et ſtratis viarum Mycenis par, vix capiat. Quiuis horum ſe felicem, ac beatum exiſtimat, quod & ſponſam tã ſpetioſam viderit, & ludis affuerit, quos primarij veſtri adoleſcentuli ad augendam omnium lætitiã propoſitis victori præmijs, edidere. Hos ego ſola haſtata concurſatione celebres, quauis grandi ſponſione contenderem, multo celebriores fuiſſe, quã ludos Olympiacos, qui quinto quoq; anno iuxta Piſam, & Elidem, magno conuẽtu totius Græciæ, pugnis, lucta, et curſu celebrari conſuerant. Vxores veſtræ floridis veſtibus, auro, & gẽmis ornatæ, à Sybaritanorũ vxoribus mihi nihil differre vidẽtur: qui in delicias ſoluti, hanc legem ſanxerunt, vt tam mulieres, quæ ad feſta vocarentur, quam ij, qui illas ad feſta uocarent, ante annũ id facerẽt, ut maius ſpatium eſſet, illis ad mundum muliebrẽ comparandum, his ad pompam feſtorum exornandam. Lex Voconia quæ ad comprimendos, coercendoſq; muliebres ornatus edita eſt, ad moderãdos tam magnos luxus, eſſet hoc tempore admodum neceſſaria. Nã huiuſmodi ornamẽta, quæ magno vbiq; pretio emuntur, paruoq; temporis curriculo abſumuntur, rẽ familiarem mirum in modum exhauriunt, & collabefactãt. Sed ò me perditum, ò me miſerum qui tã temere tot

nobiliſſimas matronas mihi facio inimicas. Ignoſcite mihi quæſo pulcherrimæ matres, hæc dicta, indicta ſunto: Vt enim nuptiarum apparatus modum, et menſuram prę ter greditur: ſic vos quæ ad illum decorandum conueniſtis, legem, & terminum in ornatu excedere debetis. Taceo conuiuia, quibus Ducem veſtrum, & Parmenſiū, cū omnibus aulicis excepiſtis, nā hæc ſine ulla cōtrouerſia, mul to lautiora, ac ſumptuoſiora fuere, quā illa Athenæi, quæ tantopere ſunt à ſcriptoribus Græcis, et Latinis decātata. Sed quoniam multa de nuptijs, et Herſilia narrauim⁹, æquū eſſe iudico, vt pauca de virtutib⁹ illuſtriſſimi Comitis Renati narremus, quæ quidē tot, & tātæ sunt, vt facū diſſimi cuiusq; oratoris facundiam, & eloquentiam exuperent, nulluſq; poſſit tam egregi⁹ pöeta reperiri, qui mini mam illarum partem decantaret. Nihil dicam de clariſſimis eius natalib⁹, qb⁹ & apud Inſubres, apud quos maio res eius nati ſunt, et in tota Italia, nihil unquam illuſtri⁹, aut nobilius noſtra, aut parentum noſtrorum vidit ætas. Null⁹ enim locus eſt, nulla in terris regio, quo Borromæorum virtus non peruaſerit: ſupra Garamantas, & Indos auditum eſt nomen. Ex hac nobiliſſima familia multi & pace, & bello clariſſimi viri extitere, & omnes (quod in ſumma laude ponendum eſt) ab ipſa infantia, Chriſtianæ religionis diligentiſſimi cultores. Taceo tot illuſtriſſimos Cardinales, qui inter purpuratos patres, & ſanctitate uitæ, & omni virtutum genere, vt Luna nocturno tempore inter ſydera fulgent. Nihil neceſſarium eſſe iudico narrare, quanta cum diligentia à ſapientiſſimis parentibus Iulio Cæſare Borromæo, & Margarita Triuultia à crepun-

dijs

dijs fuerit educatus, quanta cum facilitate omnes bonas litteras, & diſciplinas, quæ libero homine dignæ ſunt, pceperit. Tantum enim breui in illis profecit, vt non ſolum æquales ſuos, uerum etiam natu maiores, longo poſt ſe interuallo reliquerit. Nullum exercitationis genus eſt, in quo ſe non exercuerit, atq̃ ita ſe exercuerit, vt in eo ſibi parem habeat neminẽ. Fac periculum in Mathematicis, fac in Muſicis, in ſaltu, in lucta, curſu, & cæteris gymnicis exercitationibus, principem locum in omnibus obtinebit. Sed hæc corporis bona licet fatis indulgentibus, à Natura habuerit, cura tamen, & exercitatione plurimum auxit. Quanta vero prudentia, iuſtitia, æquitate, animi magnitudine, & modeſtia, præditus ſit, tacere ſatius eſſe duco, quam pauca dicere. Nam Fauorinus Philoſophus (authore Gellio) turpius eßе dicebat, ieiune, atq̃ frigide laudari, quam inſectanter, & grauiter vituperari. Clementia in eo ſingularis eſt, liberalitas vero tanta, vt Hieronem Syracuſanum, Agrigentinum Gilliam, Ptolemæum Philadelphum, & Neruam Cocceium anteeat. Natus eſt Mediolani, quam vrbẽ (vt Liuius. & Trogus ſcribunt) Galli condidere: verum in antiquis Chronicis à Tubale Iapeti filio, & Noæ nepote ædificatam fuiſſe legimus. Sed an ab hoc, an ab illis condita ſit, parum refert. Vrbs eſt in noſtra Italia clariſſima, & Galliæ Ciſalpinæ metropolis, multorum ducum, regum, & Imperatorum ſedes. Hic eenim frequenter Nerua conſtitit, & Traiano tam valde placuit locus, vt in eo ſuam regiam ædificarit, quod nunc Palatium dicitur. Hæc ego referre volui, ſiquidem plurimum intereße puto, in vrbe naſci nobili, & bonis legib⁹,

& moribus inſtituta, nàm hanc ob cauſam Romani olim liberos ſuos Athenas erudiendos mittebant, vt ab ipſa infantia præceptis, inſtitutisq́; ad vſum vitæ pertinentibus imbuerẽtur. Præterea multi Athenieſes, & Romani ſplendore patrię illuſtres fuere, qui ſi in obſcuriore aliqua vrbe nati fuiſſent, pręconio virtutum ſuarum caruiſſent: & nunquam rebus magnis, ex quibus laudem, & gloriã ſunt conſecuti, prefuiſſent. Opes ei Fortuna tantas elargita eſt, vt inter Inſubres habeatur locupletiſſimus: quas audio illum non in ſcurras, & lenones, vt pleriq; noſtræ ætatis diuites, ſed in pauperes, & mendicos perlibenter erogare. Nec tacendum eſſe ſtatuo, quo conſilio, & ſapientia populos qui ſuæ ditioni ſubiecti sunt, regat, & gubernet, ea enim prudentia, & mentis ſagacitate in hanc curam, & adminiſtrationem incumbit, vt omnibus & ſummis, & infimis, & mediocribus æque gratus habeatur. Nemo Mehercule facile dixerit, quantopere illum ſubditi colant, et obſeruent: contubernales admirentur, et amplectantur: et tota denique ciuitas Mediolanenſis exoſculetur, ac ſummis laudibus ſemper ad cœlum ferat. Cum hæc omnia conſtent uiri Placentini, qui hic ad honeſtandas nuptias conſidetis, ſperandum eſt, ex vtriſq; liberos orituros, qui & parentum expectationi, & maiorum ſuorum laudibus reſpondeant, & toti Italiæ ſint ornamento. Nos (vt bonos Chriſtianos decet) Deum optimũ Maximum precemur, illuſtriſſimus Comes Renatus cum ſua pudiciſſima, & ſpecioſiſſima coniuge, quam diutiſſime, & feliciſſime viuat: et hoc matrimonium illis felix, fauſtumq́; ſit: & in longiſſimum tempus ſemper cum pace, & concordia prorogetur. Dixi.

ILLVSTRISSIMI COMITIS Renati Borromæi,&Illuſtriſsimæ Herſiliæ Farneſiæ Epithalamion, Iano Peluſio Crotoniata authore.

Æternum Inſubrium decus,
Atq; Italorum gloria
Renate, ſurge fortiter
Ad arma nuptialia,
Vt lex connubij iubet.
(Quod vertant bene cælites,)
Ducenda coniux eſt tibi,
Puella melle dulcior,
Pulchraq; matre pulchrior,
Farneſi edita ſanguine.
Curre huc curriculo, aduola,
Matres, viriq; nobiles
Te voce poſcunt tinnula,
Abrumpe quæ nectunt moram
Importuna negotia.
Audi quo ſtrepitu atrium
Remugiat quærentium
Te: fœminę primariæ
In abditis conclauibus
Exornant tibi coniugem.
Exornant tibi coniugem,

Non

Non quo puella comptior
Auro grauata, et gemmulis
Appareat: non talibus
Donis indiget, aut ope.
Nam ſic (vt patet) enitet
Inter puellas candidas,
Vt Luna pura in æthere
Inter minora ſydera,
Cum Sol Oceano ſubeſt.
Talis venerat ad Parim
Formoſa Cypris iudicem,
Gaudenſq́; victis cæteris
Deabus, Ida in ardua,
Cum pomo rediјt domum.
Huc vento celeri ocyus
Caſtæ venite virgines,
Blandaq́; voce dicite,
Thalaſſio Thalaſſio
Ad munus propera tuum,
Par vobis veniat dies
Pueri, puellæq́; integræ,
Donec marita prodeat,
Feſtas choreas ducite,
Signa & lætitiæ date.
Nam virgo Herſilia aurea
Pulchro Renato iungitur,
Qui natus eſt Iuſubribus
Summo parentum ſanguine,
Clari & dotibus ingeni.

Perfeliciter accidit,
Vt illa flos eſt virginum,
Sic ſplendor hic æqualium,
Vterq́; liberalibus
Aeque præditus artibus.
Eia qui rapis ad virum
Thalaſſio puellulam,
Innecte crines textili
Roſa,aut olente amaraco,
Et dicto citius veni.
Audi te pueri vocant,
Et virgines ad nuptias,
Implentq́; cantionibus
Auras,& aures cælitum.
Ac crebro quatiunt faces.
Feſtina propero gradu,
De more geſtans luteos
Soccos vtraq́; plantula,
Et non relicto flammeo,
Huc intra pede dextero.
Mox cantu citharæ excitus,
Et vocibus canentium,
Attolle tedam pineam,
Et nuptiale concinens
Carmen, duc hilaris choros.
Vt vites hedera implicat,
Aut arbores,ſic mutuo
Amore necte coniugem
Vtrunq́; necte fortiter,
Nulla

Nulla vt diſſoluat dies.
Nectens, dic numero impare
Amoris inſolubilis
Vtrunq; necto vinculo,
Cum pace, cum concordia,
Vitę tempus ad vltimum.
Sed (verum vt fatear) nimis
Es impius Thalaſſio,
Talem puellam qui potes
Auellere à patris ſinu,
Ardenti & iuueni dare.
Tu fœta es quoq; ſæuior
Pater leęna, & tigride,
Dum tam decoram virginē
Lętaris ad virum rapi,
Viq; ex ędibus abſtrahi.
Sic natam Priami arbitror
Ex ęde caſtę Palladis
Aiax O'ili traxerat,
Cum Graius hoſtis vreret
Flammis Iliacas domos.
Nunc quando licet ò boni
Iuuenculi, & iuuenculę,
Voces viciſſim tollite,
Et nuptiale canticum
Lęti concinite in modum.
Claras tollite lampadas,
Iam venit ordo illuſtrium
Inſubrium, lectiſſimę

Matres ſedent in ſedibus,
Et feſtum celebrant diem.
Dum cantu reſonat domus,
Quot hic adeſtis nuptijs
Pueri, & puellę nobiles,
Humum libentes pellite
Nulla cum requie pedum.
Nullus candidior dies
Sit hoc, lapillo candido
Notandus: hęc nox verſibus
Vobis canenda, dulcior
Sit quam nectar Hymettiū.
Heu me: quid miſer audio?
Quid eſt? quid accidit tibi?
Quod nupta fles? quod lacrymis,
Fletuq́, turbas omnia?
Miſcens triſtia dulcibus?
Nil (mi crede) periculi eſt,
Puella bella, candida,
Quale eſt liguſtrum, aut lilium:
Abſterge ocellos linteo,
Et finem lacrymis face.
Omnes coniugio tuo
Summo triumphant gaudio,
Tibi quod ille contigit
Vir: quem trecentæ Naiades
Optarunt ſibi coniugem.
Gaude pectore in intimo,
Non eſt in orbe quiſpiam

Tuo marito pulchrior,
Suumq́; ducit inclytis,
Et magnis atauis genus.
Eſſet perſimilis tui
Manu, ore, crine, ocellulis,
Ni vultus acris in trucem
Hoſtem, ferocem redderet;
Et malas tegerent pili.
In quacunq́; periculum
Re fac, vel arte, in gymnicis
Ludis, palæſtra Martia,
In litteris, in muſicis,
Et ſolers erit, & bonus.
Nil eſt quod timeas tibi,
Ne turpe probrũ perſequẽs,
Adulteris adhæreat,
Aut a papillis, & ſinu
Vnquam ſecubet a tuo.
Non hoc vir faciet pius,
Hærebit vni ſed tibi,
Suis relictis optimis
Parentibus; ſanctiſſimus
Mos ut Chriſticolûm exigit.
Da te perfacilem tuo
Viro. nihilq́; denega
Illi petenti: ne petat
Aliunde, quod negaueris:
Et ſit quod doleat tibi.
Farneſi Herſilia aurea,

Vt lex iugalis imperat,
Sine vt maritus hic tuus
De more ſoluat in toro
Zonam virgineam tibi.
Intactum ſine colligat
Huc uſq́ florem: atq́ impleat
Spe prolis omnes nos bona,
Tumere cum videbimus
Vẽtrem iam grauidum tibi.
Omnes alite cum bona
Vos fœminæ annis obſitæ,
Queis nuptialis cognitus
Mos eſt, locate virginem
Vt ſcitis, tenero in toro.
Tu prima huc ades, huc manus
Affer benigna Margari,
Hæc actio, hæc myſteria,
Et nuptialia omnia
Ad te munia pertinent.
Te digna, contigit tibi
Nurus: beabit hæc tuos
Lares: nouoſq́ liberos
Pariens; togatæ Galliæ
Erit prgſidium, & decus.
Certatim bene olentibus
Vos integellæ virgines
Lectum iugalem floribus
Ornate; & vna fundite
Lætos cum pueris ſonos.

Tu

Tu vir iam venias licet,
Vxor parata in lectulo
Tibi eſt,ita ore florido
Nitens,vt album lilium,
In campo Paphia aut roſa.
Hac(me iudice)virgine
Non eſt puella quæpiam
In vrbe,& orbe pulchrior.
Hæc vincit ipſam filiam
Ledę:& cælicolûm deas.
Vir felix ter,& amplius,
Potitus es puellula,
Quæ denegata pluribus
Procis fuit:vere Hercule
Adiuuit bona te Venus.
Quam forma niteat vides,
Seu flammeos ocellulos,
Labella ſeu corallina,
Seu lacteas papillulas
Spectes,ſeu reliqua omnia.
Felix lectule millies,
Qui tot bonorum particeps,
Et luſuum tot conſcius
Eris:caueto ſtridulus
Tantæ lætitiæ obſtrepas.
Hinc diſcedite virgines,
Adeſſe vobis non licet
Sacris:abite,& laudibus
Deum ſuperbis tollite,

Qui tanti dator eſt boni.
Audin' vir, tuba claſſicum
Tibi canora concinit,
Ad arma fortis proſili,
Eumq́, præſta militem
Te: quem vult Venus, aut Hymen.
Centum baſia centies,
Centena centum centies,
Millena mille millies,
Centena totq́, centies
Inger coniugi amabili,
Quot ſunt ſydera in æthere,
Quot ſunt areaæ in littore,
Quot ſunt racemi in vineis
Piſceſq́, ſunt in æquore,
Floreſq́, Idalio in iugo.
Subducet numerum prius
Vel ſyderum micantium,
Vel arborum virentium,
Si ſcire quiſpiam volet
Veſtrum millia luſuum.
Iuncti fædere coniuges
Vtriq́, ludite ut lubet,
Breui daturi liberos,
Qui laude, fama, & gloria
Exornent genus Italum.
Sic patri ſimilis puer
Naſcatur, vt videntibus
Noſcatur omnibus ſtatim,

Cuius ſit ipſe filius,
Ludens paruus in ædibus.
Matriſq́; Herſiliæ indicet
Pulchro ore, nigro ocellulo,
Intacta quam ſit caſtitas.
Adultus, artes patrias
Perdiſcat procul a malis.
Talis Telemachus fuit
Proles Vlyſſis callidi,
In otio, & negotio
Tutela, firma & anchora
Matri Penelopæ ſuæ.
Ire hinc iam licet omnibus,
Feſſi quieſcunt coniuges
Lucta: Renatus craſtino
Die, triumphum virgine
Ducet de Herſilia ſua.
Dum claudunt pueri oſtium,
Linguis fauete uirgines,
Abite cum ſilentio
Matres, viriq́;: nam parens
Luci Memnonis imminet.
Nos ſi (dum licuit) quoq́;
Satis, ſuperq́; luſimus,
Chriſtum precemur cernui,
Præſens vt hoc par coniugũ
Sancto numine protegat.

ILLVSTRISSIMI COMITIS Renati Borromæi, & illuſtriſsimæ Herſiliæ Farneſiæ epithalamion.

HVc ades o, Hymenæe, Hymen ades, o Hymenæe,
Te vocat ad thalamũ vir mulierq́; nouũ.
Herſilia, Herſilia pręſtantior ore Quirini,
Victa maritali dat ſua colla iugo:
Inq́; Placentina coniungitur vrbe Renato,
Qui Borromææ eſt gloria prima domus.
Huc ades o Hymenæe, Hymen ades, o Hymenæe,
Te vocat ad thalamum vir mulierq́; nouum.
Turmatim proceres hæc ad ſpectacula currunt,
Qualia ſunt nullis edita temporibus.
Vſq́; adeo cunctis Farneſia virgo videtur
Pulchra, Helenam ut forma vincat, & Antiopam.
Rubras labra roſas ſuperant: candore pruinas
Colla: oculi ſtellas: aurea fila comæ.
Huc ades o Hymenæe, Hymen ades, o Hymenæe,
Te vocat ad thalamum vir mulierq; nouum.
In priſca pulchræ ſunt natæ ętate puellę,
Nulla ſed Herſilia pulchrior orta fuit.
Nam quęcunq́; tenent forma pręſtante puellę,
Quas nunc formoſę tecta Crotonis habent:
Sola tenet. Graias, latiasq́; Heroidas inter

Pręmia habet ſanctæ prima pudicitię.
Huc ades Hymenęe,Hymen ades,o Hymenęe,
Te vocat ad thalamum vir mulierq́, nouum.
Eridanus tanta nimirum lætus alumna,
Adriacum tumidas in mare voluit aquas.
Sed magis eſt lętus coniux,qui coniuge tali
Arbitrio fruitur nocte,dieq́,ſuo.
Iuppiter, hanc mallet,quam claro nomine Lędam,
Mutaretq́, ſuam Mulciber hac Venerem.
Huc ades o Hymenęe,Hymen ades o Hymenęe,
Te vocat ad thalamum vir mulierq́, nouum.
Illo (crede mihi) ſi tempore nata fuiſſet,
Quo dij ſub magno numine Amoris erant:
Pan Syringa vagus,Daphnen ſpreuiſſet Apollo,
Alcides Heben,Bacchus & Erigonen.
Et ne plura loquar,ſaperet quicunq́, deorum.
Hanc ſibi pro quauis virgine deligeret.
Huc ades o Hymenęe,Hymen ades,o Hymenęe,
Te ſolum in tectis pompa parata manet.
Margaris ante fores,& Dux Octauius vna
Te ſolum expectant,& tibi ſerta parant.
Quo citius venias,concentibus aëra mulcet
Orpheus,& tangit fila canora lyræ.
Illuſtreſq́, viri ductant de more choreas:
Feſcennina tibi carmina & ore canunt.
Iuno Iouis coniux,cui vincla iugalia curæ,
Ad tua quamprimum munia quæſo veni.
Connubio ſtabili iuueni eſt iungenda Renato
Herſilia:auſpicijs talibus oro faue.

Auſpice te fauſte iungatur coniuge coniux:
Auſpice te virgo ſit bene nupta viro.
Atq́; breui pariat natos, qui laudibus orbem
Ornent: et noſtræ ſint decus Italiæ.
Herſilia Herſilium pariat, qui fronte parentem
Exprimat: & fortis facta ſequatur aui.
Herſilia Herſiliam pariat, quæ fronte parentem
Exprimat: & formæ vincat honore deas.
Dicite io iuuenes, & io cantate puellæ,
Ad Thalamum accedit nupta pudica nouum.
Ad Phrygium quales paſtorem vallis ad Idæ
Venerunt ſyluam Iuno, Minerua, Venus.
Dicite io iuuenes, & io cantate puellæ,
Ad Thalamum accedit virgo venuſta nouum.
Hanc comitatur Amor, Charites comitantur, & omnes
Nymphæ, quas pulchri mater Amoris habet:
Hanc comitatur Hymen, comitatur Iuno Tonantis,
Integritas vitæ, & ſancta pudicitia.
Ore ſuo charites ſpirat, Venereſq́; iocoſq́;
Eius & ex oculis ſpicula torquet Amor.
Dicite io iuuenes, & io cantate puellæ,
De more in tenero nupta locata toro eſt.
Vir noue qui fortem Peliden viribus æquas,
Euge veni, in lecto nupta parata tibi eſt.
Qualis in Idalio luco roſa pulchra, Napeæ.
Quam gelido aſſidue fonte rigare ſolent.
Vir noue Priamiden qui viribus Hectora vincis,
Euge veni, ad Thalamum te noua nupta vocat.
Euge veni, noue ſponſe veni, de more licebit

Hic tibi nam zonam ſoluere virgineam.
Lacteolaſq; tuo tractabis iure papillas.
Purpureiſq; dabis baſia mille genis.
Vitem hedera vt ſtringit,ſic ſtringe Renate puellam,
Et lege quam ſeruat virgo pudica roſam.
Sanctus Hymen,Hymenęus Hymen ſic cogit amantes,
Quos prius haud vetitus fœdere iunxit Amor.
Vos ſponſi quoniam iam lucet veſper olympo,
Gaudete,& tota ludite nocte toro.
Viuite felices omnes concorditer annos,
Veſtraq; perpetuo ſit ſine lite domus.
Ambo pares eſtis felices:viuite læti,
Et grates ſummo ſemper habete deo.

AD ILLVSTRISSIMAM Herſiliam Farneſiam.

HErſilia æthereis forma æquiparanda deabꝰ,
Atq; tua pulchra pulchra parente magis:
Oro libens (quoniam ſic præcipit ipſe Hymenæus)
Subde maritali libera colla iugo:
Atq; breui genera natos, qui moribus orbem
Ornent.& patriæ ſint decus omne ſuæ.
Pulchro pulchra daris,quid fles?exporrige frontem,
Et da lætitiæ maxima ſigna tuæ.
Gratia Iunoni,cui vincla iugalia curæ,
Quod tam præclaro ſis ſociata viro.

Vt

Vt non ille alia quam te vir coniuge dignus,
Sic tu non alio digna puella viro.
Sic bene viniferis iunguntur vitibus vlmi,
Sic bene puniceis alba liguſtra roſis.
Viribus æquæuos ſupereminet ille iuuencos.
Aequæuas ſpecie prę teris ipſa tuas.
Aeque ambos decorat genus,atq́; Heroica virtus,
Ingenui mores,virgineusq́; pudor.
Vobis læta quies,vobis concordia,vobis
Sit pax,pręterea nt & ſine nube dies.
Pulcher Hymen pulchra faciat vos prole parentes,
Sit felix,magna ſemper & auctet ope.
Viuite concordes omnes feliciter annos,
Atq́; vnum in gemino corpore habete animum.
Dumq́; licet,pariter teneram exercete iuuentam:
Gaudiaq́; in ſocio continuate toro.

AD ANGELVM BARGAEum,poetarum,& oratorum huius ætatis principem.

OMine cum fauſto Farneſia uirgo Renato
Iungitur:hoc factum dijq́; hominesq́; probant.
More meo volui tantos celebrare Hymenęos,
Verſibus & lætum tollere ad aſtra diem.
Cum me deficerent vires:reſpondit Apollo,

Non

Non hæc eſt humeris ſarcina digna tuis:
Bargæus vates toto celeberrimus orbe,
Materiam hanc ſumat, taliaq́; orſa canat.
Parua legat littus puppis: bene firma triremis
Ionij fluctus ſulcet, & Oceanum.
Quando igitur poſcunt hęc te ſpectacula ſolum.
Bargęe, hæc ſolus ſcribere feſta para.
Nanq́; immortales grates tibi ſemper habebo:
Atq́; parem coniux reddet vterq́; vicem.

AD CAROLVM SIGONIVM virorum huius ætatis ſapientiſsimũ.

SIgoni celeberrime in cathedra
Cum ſenſus Ciceronis, & Maronis
Abſtruſos aperis tuis alumnis,
Suada quam perhibent boni poètę,
Seſſitaſſe Periclis in labellis,
In tuo ſedet ore. par videris
Mihi Vergilioq́;, Tullioq́;.
Satis nam facis eruditione
Auditoribus omnibus: nec vllus
De tanto eſt numero elegantiorum,
Qui te non fateatur eſſe dignum
Omni laude, & honore. tot libellos
Quot ad commoda publicas virorum.
Qui veſtigia Apollinis comati,
Atq́; inſignia Palladis ſequuntur,

Quic-

Quicquid eſt hominum politiorum
In noſtra Italia, exteriſq; terris,
Laudat, ſuſpicit, approbat, nec vnquam
Ponit de manibus ſuis. ob acris
Vires ingenij tui, tuoſq;
Mores Pythagora, & Platone dignos,
Es chariſſimus omnibus, mihiq;
In primis. tibi ſi vacat, precamur
Tollas Herſiliam Renati aduſq;
Cœli ſydera. nanq; liberalis
Dux Octauius hoc abire nunquam
Permittet ſine munere, & poeta
Ianus, patria quem tulit Milonis,
Debebit tibi plurimum: paremq;
Memor ſemper erit vicem referre.

AD PETRVM VICTORIVM viroꝛum omnium doctiſsimum, & Italiæ noſtræ decus, & ornamentum.

VIctori pater Attici, & Latini
Sermonis lepidiſſime, (oro dictum
Sit hoc cum venia eruditiorum)
Omnes ingenue fatemur, eſſe
In noſtra Italia, exteriſq; in oris,
Viros artibus omnibus politos,
Et ſumma ſapientia: ſed ijdem
Omnes ingenue fatemur, eſſe

Nul-

Nullum, qui ingenio, eloquentiaq́,
Quam Graiæ, & Latiæ dedere Musæ,
Conferri valeat tibi. quis vnquam
Ariſtotelis omnium ſophorum
Secli principis huius, & prioris,
Senſus difficiles, & impeditos,
Ipſo te melius recluſit omnes?
Quis myſteria Græca, quis Latina
Expeditius, elegantiuſq́,
Vnquam te patefecit? ergo cuncti
Debemus tibi rhetores, pöetæ,
Et Sophi. decorare Petre noſtrum
Aeuum perge tot optimis libellis,
Nanq́, poſt obitum, tuamq́, mortem,
Famam perpetuo tibi relinques.
Sed ſi (quod puto) verſibus canoris
Cantaſti ſatis, & ſatis tuliſti
Ad domum aſtrigeram Iouis Tonantis
Magni connubium Ducis, tuiq́,
Benigni domini, & boni patroni:
Hoc meæ Herſiliæ, & mei Renati
Dicas carmine. nam tuo labori
Dux Farneſius, ipſe, Parma, magnas
Hoc pro munere gratias agemus.

AD

AD FEDERICVM RINAL-dum virum eruditiſsimum, & Pontificiæ bibliothecæ præfectum.

Rinalde Aonidum decus ſororum,
Qui ardenti ſtudio bonos libellos
Summi Pontificis legis, facisq́;
Cedro carmina digna: dijs ſecundis,
Boniſq́; auſpicijs, datur Renato
Quem nobis generoſa procreauit
Borromæa domus, mei potentis
Ære, conſilio, arte militari
Ducis Herſilia, omnium puella
Formoſiſſima. Parma tota læta eſt,
Et Placentia gaudio triumphat:
Atq́; omnes proceresq́;, principesq́;
Quot nunc Gallia continet togata,
Has ad lętitias, diesq́; feſtos
Conuenere. chorus puellularum
Choro haud diſsimilis deæ Dianę,
Et matris Veneris, nouam maritam
Hinc, & hinc comitatur, & choreas
Cum pulchris pueris, iuuenculiſq́;,
Dum cantu citharæq́;, barbitiq́;
Domus perſonat, atriumq́; totum
Ingenti ſtrepitu virûm remugit,
Ductat purpurea roſa reuinctus.

Ve-

Velim (nam potes) uſq; ad aſtra tollas
Doctis uerſibus, & laborioſis
Hęc connubia, nuptiasq́, maior,
Vnquam nec melior tibi, tuiſq́
Res, & materia accidet camænis.
Vires ingenij explica, uiriſq́,
Claris laudibus utriuſq́ linguæ,
Appare Federice & hic, & illic,
Rhetor optimus, optimuſq́ uates.

In Gryllum pædagogulum.

SVnt gerræ Siculæ, ſunt nugę Grylle canoræ,
Quæ das plebeijs ſæpe legenda viris.
Quo pede carmen eat, nondum ſtultiſſime noſti,
Et uates inter nomen habere cupis
Accentu curto profertur ſyllaba longa,
Produciſq́ breuem, barbariemq́ ſonas.
Inq́ ſolæciſmum tam turpiter incidis, ut ſit
Vrbe fere in media uerbere digna manus.
Carpe tuo arbitrio mea Grylle pòëmata, carpe
Vt lubet, haud quicquā me maledicta mouēt.
Tardipedi tua ſcripta deo, Thetidiq́ marinæ,
Cum ſanna, & riſu docta caterua dicat.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE PESTE IN VE-netos ſæuiente.

O Quotquot eſtis Itali diuûm genus,
Qui nomen indelebile, & perennius
Vobis paraſtis ære vbiq; gentium,
Lugete voce quam poteſtis maxima,
Ni vultis eſſe ſæuiores tigribus,
Vrſisq; fœtis, & leænis aſperis.
Vrbs urbium pulcherrima, & ditiſſima,
Ius inquieto ſola quæ dans Adriæ,
Tot oppidis, tot inſulis late imperat,
Ira deorum Manium, chariſſimis
Orbata liberis, miſerrima omnium
Quot intuetur Cynthij flauum iubar,
Eſt facta. tutæ ſpes nec vlla cernitur
Adhuc ſalutis: ſæuit in dies magis
Lues per vrbem dira, nec manum abſtinet
A quopiam, ſeu ſtirpe natus nobili
Sit, ſeu profana plebe. per cadauera,
Et inſepulta membra, florentiſſima
Vrbs illa quondam ciuibus, pecunia,
Regumq; mater, & ſagacium ducum,
Se affligit vſq; triſtibus ſuſpirijs.
Linquunt parentes liberos: & fratribus
Opem ſorores non ferunt, ſed exeunt
De patria, quo dira fert neceſſitas.
O fata iniqua numinum, miſerrimæ

Quocunq; vadunt ſic, fugantur fuſtibus,
Saxiſq;, in antris nec datur conſiſtere,
Quæ non negata ſunt feris ſæuiſſimis.
Hoc per potentes cælites ſpectaculum
Triſte, atq; acerbum, dura Thracum pectora
Molliret, ac tremenda monſtra Tartari
In lacrymas impelleret triſtiſſimas.
O Peſtis execranda, & Auſtro ad vltimas
Oras ferenda, iuris, & licentiæ
Tibi ne tantum vendicas? vt audeas
Euertere vrbem funditus primariam?
Quam per tot annos, totq; ſecla, perdere
Non valuit vlla principum potentia?
Prô Iupiter? quid iſtud? illa ciuitas
Ad quam ſolebant nobiles, ignobiles,
Et hinc, & hinc, & vndiq; in moleſtijs
Conferre ſe, ceu nauitæ ad ſacram anchoram,
Aut exules ad Romuli, vel Atticæ
Terræ vetuſti iura aſyli: ab omnibus
Nunc prô dolor? reiecta, ut hoſtis impius,
Eſt præda peſti? ſi laborat quiſpiam
Morbo, repente clauſus in tectis ſuis
Fame interire cogitur miſerrime:
Quin vbi relict⁹ hoc modo, expirauerit,
In eius ædes flamma miſſa, deuorat
Res, ante quas hæredibus parauerat.
Quid ſæuius? quid triſtius? capta hoſtib⁹
Perferret vnquam? Marte Graio Pergama
Euerſa, non tulere tanta incommoda.

Neptune tutor, vrbi nobiliſſimæ
Ni protinus proſpexeris, per Herculem
Illam videbis interire funditus.
Id oro ne cotingat, ocyus pater
Hoc quicquid eſt malorum, in Afros transferens,
Ex his procellis eripe, & periculo.

HYMNVS AD DIVVM MARcum Euangeliſtam.

Arce pater ſpecula qui de ſtellantis olympi
Cuncta vides, Venetis ocyus affer opem.
Ocyus affer opem, nã peſtis ſæua per vrbem
Bacchatur: paſſim vir mulierq́; cadit.
Fæmineis vlulant omnes vlulatibus ædes,
Hic gemit vxorem, luget & illa virum.
Non pater auxilium nato, natuſq; parenti
Ferre poteſt: fratrem deſerit ægra ſoror:
Nam propior miſerum quicunq; accedit ad ægrum,
In partem lethi protinus ipſe venit.
Nullus adeſt medicus: medicos vis effera morbi
Abſumpſit: nullum peſtis acerba fugit.
Quo ſe cunq; oculi per triſtia mœnia vertunt,
Cuncta vident fœdis ſtrata cadaueribus.
Inq́; dies tanti ſerpunt contagia morbi:
Illum quod grauius, nulla medela iuuat.
Luminibus ſiccis non hæc ſpectacula tigris
Cerneret, aut Libycis nata leæna locis.

Vrbs bone diue feres fundo euertatur ab imo,
Imperium Adriaci quæ tenet vna maris?
Dira lues illam patiere vt deleat vrbem,
Quæ ſola Italiæ portus, & aura ſuæ eſt?
Auſpicijs ſi diue tuis hæc floruit vſq;,
Auſpicijs eadem floreat vſq; tuis.
Quod ſcelus admiſit populus, Venetuſq; ſenatus
In te? vt diue tua deſtituatur ope?
Non tibi tura dedit? non aris ſemper honorem
Impoſuit? ſemper non tibi ſacra facit?
Quæ gens in terris Venetis eſt ſanctior? & quæ
Sancta magis pura numina mente colit?
Sit quæſo ſæuiſſe ſatis, miſerere laborum
Tantorum: populum reſpice quæſo tuum.
Reſpice quæſo tuum populum, qui totus in æde
Diue tuæ flens te nocte dieq; vocat.
Exaudi pueros, exaudi quæſo puellas,
Et moueant animum vota, preceſq; tuum.
Oro tuas ſæua defende à peſte puellas,
A ſæua pueros peſte tuere, tuos.
Hos uno intuitu tantos cōponere fluctus,
Hęc uno intuitu damna leuare potes.
Oro veni citius, non diue morarier vltra.
Eſt opus: exigua eſt turba relicta tibi.
Pro accepta ſoluent Veneti tibi vota ſalute,
Pendebitq; tholo picta tabella tuo.

DE ASCLEPIADE AVARO.

MVrem Aſclepiades ſuis auarus
Cum vidiſſet in ędibus morantem:
Quid rerum geris hic amice dixit.
Mus inſit, bone amice nil timeto.
Non victum in vacua hac domo, atq; inani,
Sed quæro hoſpitium mihi puſillum.

EX MACROBIO.

De quodam pictore.

TVrpes habebat filios quidam bonus
Pictor, magiſter inquit vnus, Mehercule
Non fingis, ęque ac pingis: ille reddidit.
De nocte amice fingo, pingo de die.

IN GRYLLVM

Pædagogulum.

PErditiſſime perditiſſimorum
Pædagogule Grylle, Grylle ſumma
Noſtri infamia ſeculi virorum,
Leues eſſe putas meos iambos,
Vno quod faciam die trecentos.
Vix vnum facis ipſe toto in anno
Carmen tam graue, tamq; ponderoſum,
Vt non ferre queant trecenti Atlantes.

EX MENANDRO.

De indigno bonorum virorum contemptu.

Siquis potens deorum
Mi diceret, regreſſus
Acheruſijs ab vndis,
Rurſus diem hunc videbis,
Eriſq; quod voles. Glis,
Equus, leo, vel hircus,
Vulpes, homo, aut catellus:
Iubente nanq; fato,
Te viuere eſt neceſſe.
Age expedi, quod optas.
Hoc nil moratus, illi
Interritus, referrem.
Quod quiduis eſſe mallem,
Quam vir. quod iſte ſolus
Animantium, rotatur
Anguſtijs malorum.
Equus celer, fremenſq;,
Curatur arte ſumma
Meliore ſeruo in altis
Præſepibus. caniſq;
Si natus eſt odorus,
Bonuſq;, honore pręſtat
Cani impigro, maloq;.
Lautas magis turundas

Generoſus eſt ſeorſum
Gallus. Timetq́, taurus
Imbellis vſq; fortem.
At vir licet probatus
Sit moribus, piuſq;,
Et laude dignus omni,
Nil eſt. iacet: nec vllus
Eſt, qui leuet iacentem.
Res eſt aperta. primus
Paraſitus eſt in aula
Potentium virorum,
Regumq;: deinde parteis
Mendax habet ſecundas:
Nam tertias doloſus
Fert. præſtat eſſe aſellum,
Quam tot leues, maloſq;,
Videre digniores
Te viuere hic in orbe.

AD ILLVSTREM POMPONIUM Torellum, Parmenſem, ingenio, & doctrina præſtantiſsimum.

*B**onis auſpicijs mei, tuiq;*
Ducis optimi, & optimi patroni,
Nubit filia bella cum Renato.
Qui iuuenculus eſt (vt ipſe vidi

In Placentia, & oppidis propinquis)
Summa præditus eruditione,
Et nullo inferior decore formæ.
Hunc Triuultia Margaris pudica,
Et primaria fœmina, vsq; ad aſtra
Fama, & nomine Cæsari marito
Noto progenuit suo. Torelle
Candidiſſime candidiſſimorum
Vatum, Gallia quos habet togata
Noſtro hoc tempore, ſi prius canoris
Tuſcis Herſiliam modis tuliſti,
Saturni ueteris domum, rogatu
Nunc idem facias meo. puella
Succiplena, uenuſta, mollicella,
Quantum quæuis in orbe mollicella
Virgo Græca, uel Itala, aut Ibera,
Meret Pindarica, atq; Horatiana
Lyra, & carminibus tuis sonari.
Dedit quod potuit Crotoniata,
Inter tam minimus poëta Graios.
Quam tu maximus inter es Latinos.
Hæc eſt ingenio tuo peracri
Digna materia, & uiris disertis,
Quales sunt socij, tuiq; amici.
Quam tu pinxeris in tuis tabellis,
Ibit alta per aſtra ſydus: ibit
Vno ab littore ad alterum: nec unquam
In terris morietur. ergo cunctis

Cum doctis Academicis, Renatum,
Atq; eius lepidiſſimam puellam,
Hinc ab Eridano, Italisq́, ab oris,
Tolle laudibus vltimos ad Indos.
Hoc mi gratius eſſe, dulciusq;
Haud quicquam poterit. tuas ad omnes
Res, hic interea Torelle Iano
Me, tuo arbitrio utere. & valeto.

AD FABIVM PELVSIVM iuuenem rei bellicæ peritum, ſuiq; fratris filium.

Fontibus e ſacris te expellit Phæbus Apollo
Chare nepos, Mauors fortis ad arma vocat.
I, ſequere arma; tibi laudes, nomenq́, decuſq́,
Haud minus ac Phæbus, Martia caſtra dabunt.
Nanq; tui proaui belloq;, togaq; fuere
Præſtantes; gentis facta imitare tuę.
Non tibi ſunt paruę procero in corpore vires;
Vincis & ęquales dexteritate tuos.

IO. ANTONIO PISANO IN Regno Neapolitano archiatro, & Comiti Palatino Ianus Peluſius Crotoniata. S. P. D.

VEreor Piſane Neapolitanorum decus, atq; totius Italiæ ornamentū, ne id orationibus, & carminibus meis contingat, quod illis mulieribus contingere ſolet: quæ cum ante tempus parere coguntur, pro maturo partu, quem edere deberent, abortum faciunt. Hunc ego libellum, in quo de nuptijs agitur, & illum ſuperiorem, qui totus flebilis eſt, non intermiſſo ſcribēdi ſtudio, (quia ſic res poſtulabat) compoſui, temporisq; ſpatijs excluſus, neutrum emendare potui. Nam tāquam Pompilij circulo ſeptus, quæ nocte elucubrabam, die qui illam ſequebatur, prælo ſubdebam. Berardinus Rota familiaris tuus, meiq; amantiſſimus, me olim quod crebro parturirem, & parerem huius generis orationes,

& pöematia, fæcundum, & facundum appel
labat. Verum ſummum eſt periculum, ne hæc
mea fæcunditas, partus ediderit parum vita-
les, facundia vero perfectionem quæ a doctiſsi-
mis viris in hoc ſcribendi genere requiritur,
nequaquam ſit aſſecuta. Res quemadmodũ ſe
habeat, tibi breuiter expoſita eſt. Siquis erit
Peluſiomaſtix, qui in me ſuæ linguæ virus euo
mere voluerit, tuum erit, vir omniũ quot ter-
ra nutrit erudit iſsime, pro tua facilitate, petu
lantiſsimi hominis ferociam compeſcere: &
Fuluium mei fratris filium, qui iſtic iuri Cæ-
ſareo, & Pontificio dat operam, meo nomine
quam commendatiſsimum habere. Puerum
& quia ingenio liberali eſt præditus, eiusq; in-
doles magnam vitæ frugẽ pollicetur, amo plu-
rimũ. Quicquid in illum cõtuleris, in patruũ
te cõtuliſſe putato. Da operã obſecro, vt tuã in
eũ benignitatẽ, Ian⁹ tu⁹, academic⁹ Eubolæ⁹,
Neapolitan⁹, Sext⁹ Croto cognomẽto, ſit vbiq;
gẽtiũ prædicaturus: tibiq; hac cauſa ſit, mul-
to pluſquam debet, debiturus. Vale. Parmæ.

FVLVIVS PELVSIVS CROtoniata Ad Ianũ Peluſium patruum.

CHare patrue, rhetor, & poëta
Diſertiſſime, & omnium uirorum
Quot sũt, quotq́; fuere, erũtq́;, prime
Dicendi Venere, elegantiaq́;,
Edis Mœonia alite hos libellos,
Nam ſic Palladię placent cohorti,
Ardenti ut iuueni uenuſta uirgo;
Qualem uel pariunt Crotoniatę,
Vel matres Venetæ. genus loquendi,
Et ſtylum quoq; Tullio, & Marone
Dignum, ſuſpiciunt, amantq́; uates,
Omnes egregij, & uiri eruditi,
Quos Phœbus iuuat, & iuuat Minerua.
Oro per cineres tuorum auorum,
Per tuam patriam, & meam ſororem,
Quæ deſiderio tui fatigat
Votis, & precibus, deos, deasq́;
Velis ocyus huc redire tandem
Poſt longum exilium, ad tuos ſodales,
Ad lares patrios, meumq́; patrem,
Qui te nominat vſq́;, & uſq́; de te
Nobiſcum loquitur. tui nepotis
Tangant te lacrymæ, & tuæ Crotonis,
Matriſq́; Hippolytę meæ querelę.
Sex olimpiadas domo paterna

Abes,

Iani Pelus.

Abes,nec redis ad tuos penates
Crudeliſſime,ſic libet vocare.
Ignoſcas mihi queſo,cogit iſthoc
Magna in te pietas,amorq; magnꝰ,
Quo te proſequor intimis medullis.
Te Lacinia noſtra,te Neæthus
Amnis aſſidue vocat,tuumq;
Immani ſtudioq;,gaudioq;,
Manent Aeſarides deæ regreſſum.
Si nos viuere vis bene,& beate,
Redi Pegaſeo ocyus volatu
Ad conſanguineos,tuoſq; amicos.
Chare patrue me tuum videbis
Dulci in Parthenope,hic enim ſtudemus
Iuri Cæſareo,mei parentes
Quod iubent,facere eſt mihi neceſſe.

ERRORES CORRIGENDI.

Pag.	2.	*Solæciſſimum*	*ſolæciſmum*
Pag.	3.	*differemus*	*differremus*
Pag.	12.	*Iuſubribus*	*Inſubribus*
Pag.	17.	*Hymenæe,*	*o Hymenæe,*
Pag.	12.	*poſt hoc carmen, Ad munus propera tuum. ſequuntur hæc.*	

Flammantes pueri faces
Ter alta ad aſtra tollite,
Et concinentes dicite,
Thalaſſio Thalaſſio
Ad munus propera tuum.

In priore opella corrige etiam hos errores.

Pag.	3. & 10.	*squallore*	*squalore*
Pag.	7.	*proſtati*	*proſtrati*
Pag.	8.	*portu*	*portum*
Pag.	9.	*squallidi*	*squalidi.*
Pag.	17.	*proſtarat*	*proſtrarat*



IANI PELVSII CROTONIATAE

IN PLACENTIAE LAVDEM AD PLACENTINOS ORATIO.



PARMAE. CIↃ IↃ LXXXI.
Ex Officina Eraſmi Viotti. Permitt.Santiſs.Inquiſit.

ILLVSTRI, ET NOBILI CIVITATI PLACENTINAE

Ianus Peluſius Crotoniata S. P. D.

SÆPIVS cum animo meo cogitaui viri Placentini, quid ad vos potiſſimum muneris mitterem, quo me iam erga Ciuitatẽ veſtrã ſtudium, & amorem teſtarer. Cũque in ſcrinijs noſtris neque argentum, neq; aurum ſeruaretur, hoc chartaceo munuſculo vos donare conſtitui. Non eſt dignum (ingenue fateor) quod ad tam illuſtrem, & nobilem veniat Ciuitatem, cuius gloria ea eſt, (vt de vate Mãtuano dicere ſolebat Symmachus) vt nullius laudib⁹ creſcat, nullius vituperatione minuatur. Sed cum veſtra humanitas qua me non vt peregrinum, ſed vt ciuem complexi eſtis, non ſineret amplius obmuteſcere, & ipſe clariore argumento, mei animi in vos propenſionem, non poſſem oſtendere: quam ſi meam hanc oratiunculam ordini Senatorio, populoq; Placentino vniuerſo conſecrarem. Vos rogo, atque obſecro magnanimi Decuriones, qui ciuitatis gubernacula moderamini, reliquorũq. ciuium vicem geritis, quantulacunque eſt, eo animo accipiatis, quo Artaxerxes aquã a ruſtico accepiſſe dicitur. Si nullis ornata calamiſtris, & myrotheciis, veſtræ amplitudini, & magnificentiæ minime ſatisfaciet, putabitis arduum, & difficile eſſe de Ciuitate ſcribere, de ea præſertim, quę poſt Mediolanum, in Gallia togata prima habetur. Quanta fieri potuit diligentia, illius laudes ſum perſecutus, non tamen omnes, nam id profecto iuſtum volumẽ exegiſſet, ſed eas tantum, ad quas mei ingenioli vires aſpirare potuerunt. Si Deus vnquam maiorem mihi dederit dicendi facultatem, plura, & prẽſtantiora de ea ſcribam. Interea quæſo his paucioribus contenti ſitis. Et quando pro veſtra illa heroica, ac ꝓpe diuina benignitate bonas litteras viroſq. littera-

tos admodum humane, ac liberaliter fouere, & complecti ſoletis, a vobis peto, hominem Crotoniatā veſtræ Ciuitatis ſtudioſiſſimum, in veſtram tutelā, ac fidem ſuſcipiatis. Ego quod ad me pertinet, vbicunque locorum fuero, vos perpetuo colam, & obſeruabo. Valete. Parmæ. Idibus Aprilis. Anno ſalutis noſtræ CIↃ IↃ LXXXI.

IANI PELVSII CROTONIATAE

IN PLACENTIAE LAVDEM ad Placentinos Oratio.

CERTO ſcio viri Placentini, vos me hodierno die non inuitos audituros, qui non meæ eloquentiæ viribus, quæ admodum tenues, & perexiguæ ſunt, ſed humanitate, & manſuetudine veſtra confiſus, hunc ornatiſſimum ſuggeſtum aſcenderim, de nobiliſſimæ patriæ veſtræ laudibus dicturus, ſi minus eleganter, & copioſe, at certe perſpicue, aperte, & ſine vlla non modo aſſentatione, ſed etiã aſſentationis ſuſpitione. Qua in re nequaquam id metuendum eſt, ne poſtquam ipſam laudare ceperim, verba me deficiant: ſed potius ne tot ſint in ipſa laudanda, vt ea pro dignitate ſatis poſſim explicare. Vos quæſo, obteſtorq; tantæ vrbis ciues, conatum noſtrum quoad fieri poteſt, ſilentio adiuuate, & quam diligentiſsime attendite: nam puncto temporis intelligetis, perpaucas eſſe ciuitates, tam ex noſtris, quam ex externis, quæ cum Placentia veſtra iure conferri poßint: ſiue generis vetuſtatem, ſiue nobilitatem, ſiue agrorum felicitatem, ſiue litterarum, bellorumque præſtantiam nobis propoſuerimus. Et ne in re minime neceſſaria longo vtar exordio, ea verborum copia, eaque orationis vbertate, quæ poteſt eſſe breuißima, rem ipſam aggredior: vos vt precatus ſum, ore, & linguis fauete, ac dicentem animis attentißimis audite. Placentia quemadmodum Roma, & Patauium, Troianum habet conditorem: nam cum Placentius exciſo á Græcis Ilio, vna cũ Aenea Anchiſæ, & Veneris filio, in Italiam nauigaſſet, fatisque ducentibus, in Galliam citeriorem cum magna manu iuuenum perueniſſet: loci ſitu perſpecto, & terræ virtute cognita, eo fere tempore illam condidit, qua Capua Campaniæ vrbs præclarißima a Capy fuit ædifi-

cata. Cũ vrbis fundamenta aperiretur, vox e proximo luco audita eſt. Hæc vrbs bona Fortuna conditur, florebitq́ diutiſſime. Auguſtam poſt non ab Auguſto duce, aut ab augurali fonte, vbi captabantur auguria, ſed quod cæteris auguſtior, venerabiliorq́ eſſet: nuncupauere. Multi Triuiam ducto de fonte vocabulo, vel a Triuerio heroe dixerunt. Non pauci ab Aenea Syluio e collibus, vbi prius a Gallis inco lebatur, prope Padum, qui omnes Italiæ fluuios magnitudine ſuperat, tranſlatam, Placentiamq́ a placendo, ſicuti Capuam a campeſtri agro nominatam voluere. Sed an Triuia dicatur, an Valeria, an Auguſta, an Placentia (nam hæc omnia habuit nomina) parui refert, nulliusq́ eſt momenti. Vrbs eſt authore Procopio, vrbium omnium Aemiliæ longe ſplendidiſſima. Iuxta ripam Padi in admodum vaſta, et amœna planitie, eo conſilio, & ratione poſita, vt hinc fluuio, illinc agro, magna hominũ multitudo aleretur, et ſcaphis, et lintribus: alijsq́ huiuſmodi nauigijs, cuiuſuis generis materia, maximaq́ onera illuc aliunde aduehi, atq́ inde alio auehi commode poſſent. Neque enim fluuij ſi nauigabiles ſunt, qualis eſt (vt de reliquis taceã) in Aegypto Nilus, mediocrem afferunt commoditatem oppidis, per quorum agros in mare defluunt. Ab ipſo exordio ciues in literis, atq́ armis ſe acerrime exercuere: his vt fines ſuos ab excurſionibus hoſtium & latrocinijs tueren tur: illis vt de Deo opt: max: & ſacroſancta religione bene ſentirent. Quid mirũ igitur ſi in vtraq́ facultate permultos celeberrimos edidit viros? qui & rebus bello præclare geſtis, & bonarum diſciplinarum monumentis, nõ modo patriam, ſed etiam totam Italiam illuſtrauere? veluti ex priſca memoria T. Tincam. & L. Piſonis patrem: & Murenam C. Iulij Cæſaris ſocerum: ex poſteriore vero Gregorium X. Pontificem max: virum vitæ ſanctitate, rerum uſu, & ſumma ſapientia præditum. Gulielmum medicum clariſsimum, qui de vniuerſa medicina accuratiſſime ſcripſit, & Raphaelem Fulgoſum iuris ciuilis, & Pontificij, omnium ſuę tempeſtatis peritiſſimum, qui in codicem, et digeſtum vetus (quod appellant) eruditiſſima edidit commentaria. Georgius Valla vir in philoſophia, poëſi, et arte oratoria eminentiſſimus, ære publico conductus, diu Patauij frequenti ſemper gymnaſio, humanitatis ſtudia profeſſus eſt, multaq́ reliquit elegantiſſima opera, quorum numerum referre perlongum eſſet. His adiungitur Cornelius Muſſus, epiſcopus Bitontinorum, et ſacrorum concionatorum omniũ qui ſunt, qui fuerunt, quiq́ futuri ſunt, magiſter præſtantiſſimus: ſic enim quan diu vixit, in hoc concionum genere regnare viſus eſt, vt neq́ parem,

neq́

neq; ſuperiorem in eo habuerit. Quot eius legunt conciones, tot vno ore, atq; vna voce, ſummis laudibus in cælum tollunt. Ego eum concionantem Neapoli ſæpe audiui, adeo pleno quidem templo, vt pedem ubi pleriq; auditores ponerent, non haberent. Ioſephus Zanardus Landus ſumma apud ſuos, & exteros authoritate, ob maximam iuris ciuilis peritiã, ciuitatis oraculũ vocabatur. Vbicũq; ius dixit, (dixit antẽ in multis præclaris urbibus,) iuſte, et integre verſatus eſt, legatuſq; ad Carolum Quintum Imperatorem de rebus grauibus miſſus, magna cum admiratione omnium, & ſua, ſuorumq; gloria legationis munere functus eſt. Verguſius Landus vir militari laude clariſsimus, e Ghibellina factione, cuius princeps erat, ob tentatam a Galeacio uxoris pudicitiam, ad ſummi Pontificis legatum tranſiit: cuius valida equitum ala, atq; exulum non contemnenda manu ſtipatus, Mediolanum (vt refert Iouius) occupauit, & iam Actium Vicecomitem qui illic cum præſidio erat, cepiſſet, niſi mater eius Mithridatem imitata, tam ſubito, quam ſalutari conſilio, effuſis in atrio aureæ monetæ ſacculis, irrumpentium militum celeritatem retardaſſet: qui dum auide diſperſam pecuniam colligunt, ſpatium illi fugiendi dedere. Vt vero in tabulis publicis legitur, patriam tyrannide liberauit, atq; in S. R. Eccleſiæ poteſtatem redegit, ob quod egregium facinus, concilio de more conuocato, ab vniuerſo populo decem mille minis donatus, pater patriæ dictus eſt. Placentini etiam fuere Albertus Scotus, Vbertinus Landus, Philippus Arcellus, Albertus Fontanus, Iacobus Anguiſciolus, & ſexcenti alij viri bellica laude clariſſimi: quos ne longior ſim, Voſq; diutius detineam, compoſito prætereo. Quantum vero prioribus temporibus Placentini bello valuerint, hinc facile dijudicare poſſumus. Annibal tot gentium, & populorum victor, ex Taurinis in agrum Inſubrium venerat, haud procul ab eo, Pado Ticinoq; traiectis, conſederat P. Cornelius Scipio, e Maſſilia in Italiam a ſenatu accerſitus. Paucis interiectis diebus, equeſtre prælium commiſſum eſt, in quo penes Annibalem victoria fuit: nam vulnerato conſule, & ab Africano filio, iam tum pubeſcente ſeruato, Romani pedem referre coacti ſunt. Hanc equeſtris victoriæ famam omnes fere Galli ciſalpini ſecuti, in fidem, atq; amicitiam Pœnorum facile conceſſerunt. Placentini animo, & virtute præſtantes, ægreferentes hoſtem diutius in Gallia ciſalpina commorari, vnum Annibalem caput belli toto conatu, & viribus petebant. Itaque Cornelius neceſſario ad agrum Placentinum ſe recepit, eodem paulo poſt venit T. Sempronius, a ſenatu literis e Sicilia vo-

catus, qui cauſam quærens, quamobrem aliquid inſigne faceret, priuſ quam Cornelius e vulnere conualeſceret, & noui conſules crearentur, iuſta acie cum Annibale qui Romanos ſecutus, ad flumen Trebiam caſtra fecerat, confligere ſtatuit, rem improbante collega, clamanteq́, nihil intempeſtiuius agendum. Ille in ſuo propoſito conſtans, cum Pœno victore ſigna contulit, turpiterq́, victus, maiorem partem exerci tus amiſit. Decem millia peditum fuiſſe dicũtur, qui per medios hoſtes ferro erumpentes, Placentiam ſe cõtulere: ubi per publica, & priuata hoſpitia diſtributi, multo magis humaniter, & honorifice excepti ſunt: quam decem illa millia Romanorum, quæ e Cannenſi tempeſtate emerſa, Canuſium ſe receperunt. Poſt hanc pugnam Annibal per omnem regionem vagatus, cuncta ferro, igneq́, deleuit: multa caſtella cepit, multa vaſtauit. Emporium, ſeu arcem malumus appellare, quæ prope Placentiam erat, ex improuiſo de nocte adortus, validiſsime oppugnauit: ſed Placentinis qui illic cum præſidio erant, egregie ſe defendentibus, tantum abeſt, vt illam ceperit, vt ex equeſtri prælio, quod fecit cum Placentinis, qui audito ab vrbe clamore, ſubſidio ſuis venerant, ſaucius exceſſerit. Non e re ſua Annibal ratus, Placentiam vrbem Romanis amicam, et egregie munitam obſidere, ſuperatis Apennini iugis, per Ligures in Hetruriam deſcendit. Tãta clade Romam perlata, omnem ciuitatem (vt par erat) mæſtitia, luctuq́, impleuit. Senatus tamen populuſq́, Romanus ciuitati Placentinæ de ſeruatis ciuibus ſingularibus verbis gratias egit, eandemq́, quod in fide manſerat, vehementer collaudauit. Qui hæc conſiderat, mirari profecto debet, tantum ea tẽpeſtate, Placentinis fuiſſe animi, vt deſperatis, deploratiſq́, fere Romanorum rebus, ab amicitia illorum non deſciuerint, ſed lætum belli finem ſibi animis proponentes, cæteris prope Gallis ciſalpinis aduerſantibus, Romanos in tam triſti, & miſera fortuna nunquam deſerere voluerint. Cum ab Aſdrubale impigro ad labores militares duce, & per tot annos in Hiſpania victore, graui obſidione p̃merẽtur, illius impetũ validiſſime ſuſtinuerũt, malueruntq́, ſuos agros vaſtari, feliceſq́, arbores cædi, atq́, omnia obſidionis incõmoda perpeti, quã a ſenatu populoq́, Romano, cuius fidem ſequebantur, deficere. Nullum genus oppugnationis barbarus prætermiſit, circumdatis veluti indagine quadam muris, magna vi, atq́, alacritate, pugnam capeſſente milite. Putabat enim hac vrbe expugnata, reliquis metum, terroremq́, iniectum iri, ſibi vero multum gloriæ acceſſurũ, ſi ea quæ frater ante præſtare non poterat, ipſe adimpleret. Multos dies expugnatione fruſtra tenta-

ta, res poſtremo eò deducta eſt, ut illinc Aſdrubal re infecta, turpiter diſcedere cogeretur. Cum vero a Cæcina omnibus machinis oppugnarentur, ſuas aras, focoſq; admodum viriliter, & ſtrenue defenderunt: nam cum de propugnaculis, librato, ac certo ictu, in ſubeuntes tela iacerent, molareſq; ingenti pondere, & fragore prouoluerent, partem eorum obruerũt, partem telis confixere. Itaq; Cæcina cum vrbem nullo modo capi poſſe cerneret, ſtragemq; trepidatio augeret, cum ſuo magno malo, atq; dedecore, oppugnationem reliquit, & traiecto Pado, in Cremonam ſuas vires, et arma vertit. Eo tẽpore pulcherrimum orbis terrarum amphitheatrum extra muros ſitum, conflagrauit, immiſſo ab oppugnatoribus igne. Multi a vicinis colonijs combuſtum eſſe volunt, inuidiæ æmulatione, quod nullum in Italia tam capax, & magnificum opus foret. Eo inde excellentiæ, & felicitatis Placentini excreuere, vt aduerſus Ticinenſes multa armatorum hominum millia duxerint, quibus in pugna victis, & eorum vrbe per uim capta, præda onuſti, domum victores reuerſi ſunt. Duce vero Alberto Scoto eorum Principe, viro rei bellicæ peritiſſimo, & cũ quolibet antiquorũ duce comparando, Mediolanum vrbem non modo totius Galliæ ciſalpinæ metropolim, verum etiam poſt Romam, vrbium Italiæ omnium florentiſſimam, paucos dies obſeſſam, in ſuam poteſtatem redegere, in quo bello Turrianorum exulũ virtus valde emicuit. Si veritatem libere, et ingenue fateri volumus, duabus vrbibus Romani, ſui imperij maieſtatem acceptam referre poſſunt, Placentiæ, quæ dum mora ſuæ oppugnationis, Pœnorum celeritatem tardat, ſpatium dedit Claudio Neroni, vt vna cum Liuio Salinatore collega, Aſdrubalem ante opprimeret, quã cum fratre Annibale in Apulia ſe coniungeret, quod ſi contigiſſet, ſine vlla dubitatione de repub. Romana actum fuiſſet: nam ſi vni par non erat, duobus Ducibus qua ratione par eſſe potuiſſet? Capua vero vrbs luxu, & libidine affluens, inuictum armis Annibalem (vt cum Valerio loquar) illecebris ſuis complexa, vincendum Romano militi tribuit, Punicamq; feritatem penitus fregit. Habet Placentia tempeſtate noſtra multos viros in omni ſtudiorum genere florentiſſimos. Hic enim philoſophi rerum omnium naturam, cauſaſq; diligentiſſime ſcrutantur. Iuriſconſulti admirabiles in legibus interpretandis æquitate, explicandiſq; ſcientia. Medici adeo peritiſſimi, vt ægrotos ex ore, & faucibus Mortis eripiant. Theologi de Chriſto opt: max: de diuina prouidentia, de animarum immortalitate, de præmijs, & ſupplicijs, quæ poſt mortem ſingulis proponuntur, conſtantiſſime diſputant. Poetæ

Tragi-

Tragici, Comici, epici, Dithyrambici, Lyrici, mentis viribus excitati, verſus effundunt elegantes, antiquorumq; carminibus pene pares. Oratores vero de omnibus rebus, quæcunq; propoſitæ fuerint, apte, diſtincte, & memoriter poſſunt dicere, cum quadam etiam actionis dignitate. Prætereo mathematicos, coſmographos, geometras, arithmeticos, & reliquos cuiuſuis artis, & ſcientiæ grauiſſimos authores, quorum nomẽclaturam ſigillatim proferre, & illorum prohibet modeſtia, & temporis opportunitas non conceditur. Sunt etiam in hac magnifica vrbe complures nobiliſſimæ familiæ, inter quas, Scotorum, Landorum, Anguiſciolorum, & Fontanorum, principatum obtinere audio. Subiacet Septemtrioni, quemadmodum reliquæ Galliæ citerioris ciuitates, ſed nulla vis frigoris tanta eſt, aut tantum niuis procella effundit, humusq; gelu ſic riget aſtricta, vt ruſticos impedire, aut retardare poſſit: quo minus tota hyeme in agris ſe exerceant, atq; ea parent, quæ ad victum ſunt neceſſaria. Hinc eſt, quod hic homines naſcuntur non molles, non ignaui, non effæminati, quales regio mollior, & delicijs affluens, ſolet generare: ſed fortes, ſtrenui, ingenioſi, & perſpicaces. Cælum habet ſalubre, ſudum, atq; ſyncerum, quodam anni tempore excepto, quo tãta caligine aër obtegitur, tantiſq; tenebris terra obuoluitur, vt ægre a viatoribus via conſpiciatur. Sed hoc incommodo, non modo Placentia, ſed vniuerſa fere prouincia afficitur. Nec his aſſentio, qui aiunt, Placentiam propterea cælum habere minus ſalubre, quod Pado ſit proxima. Iure illam culpare poſſent, ſi aut lacunis, & locis paluſtribus obnoxiam, aut alicui paludi propinquam eſſe dicerent, quæ Mephitim exhalaret, cuius fætore, & graueolentia, cæli temperies, et ſalubritas corrumperetur: aut olentes nebulæ, putresq; exhalationes, viroſa craſſitie, aëris regionem ſic inficerent: vt homines qui in vrbe habitant, morbis affligerentur: vt eſt in Meſapia Brunduſiũ, quod olim populoſiſsimũ fuiſſe conſtat, nũc cæli inclementia, pene deſertum eſt, & maiore ex parte vacuum. Si ſtagnantes aquæ quæ prius per canales, in ſubiectum mare profluebant, exitus apertos habuiſſent, ad id calamitatis, vrbs nobiliſsima nunquam deueniſſet. Sed cum Placentia quod præcipuum eſt bonæ valetudinis argumentum, Apennino ſaluberimo montium ſubiaceat, magna abundet hominum multitudine, miram habeat aëris puritatem, ſoli naturam minime vliginoſam, auræ ſint ſalutares, ager apricus, floribus, & bene olentibus herbis conueſtitus, incolæ ſint facie iucunda, corpore vegeto, colore viuido, præſtent agilitate, valetudine vtantur commoda, longiſſi-

giſſimamq́; viuant ætatē, tantū abeſt vt cæli vitio, aut regionis grauitate, & peſtilentia laborare videatur, vt iuxta vetus prouerbium, κρότωνος ὑγιέστερος ἡ *· Crotone ſalubrior ſit, cuius cælum adeo ſalubre eſſe cōſtat, vt in ea neq́; terremotus, neq́; peſtilētia vnquam fuerit. Plinius author grauiſſimus, inter exempla cenſus, quem Veſpaſianus pater, & Titus filius egerunt, ſenem hic inuentum fuiſſe affirmat, qui annos natus eſſet* CXXXI*: multos vero, vel potius innumerabiles, qui centum & viginti exceſſerant. Tempeſtate noſtra ne ſemper de priſcis, & veteribus loquamur, multos per plateas videas non modo proauos, & abauos, verum etiam atauos, tritauosq́;, credas eſſe ætatem antiquorum Hebręorum, ſermonesq́; maiorum. Romanorum fidem quandiu illorum ſtetit imperium, egregie fideliter eſt ſecuta, poſtea vero communi reliquarum Italiæ ciuitatum fortuna, libertate ſpoliata, in Gothicam, atque Longobardicam tracta eſt ſeruitutem. Sub quo dominatu, & tyrannide fuit, quouſque debellatis a Carolo magno Longobardis, captoque apud Ticinum illorum rege Deſiderio, prima omnium ad Italorum regum, quos Carolus victor inſtituerat: poteſtatem deuenit. De agrorum vbertate, paucæ in* Italia *vrbes cum ea concertare auderent, nam ex illis magna milij, zeæ, panici, hordei, tritici, aliarumq́; omnis generis frugum, rerumque quæ ſunt ad viuendum neceſſariæ, copia pene incredibilis percipitur: lino & lana eſt fęcundiſſima, ex quibus pannos conficit probatiſſimos, latiſſimeque diſtrahit. Et quoniam ſpectatiſſimis arboribus referta ſpectatur, fructus fert lætos, & Tempeſtiuos; vinum vero generoſiſſimum, & tanta nobilitate præcellens, vt Creticis, & Italicis omnibus, & quidem præſtantiſsimis anteferri poſſit. Neque tam aruis, & arationibus, quam pratis, & paſcuis eſt feliciſsima, butyro abundat laudatiſſimo. Nec eſt aquarum indiga, qualis Iapygia in Italia, aut Iaſium in Pelopōneſo, quod ob aquarum penuriā, Dipſium dictum fuit: Sed ex fluminibus quibus abundat, riuis deductis, totam irriguam reddit regionem, & rei pecuariæ maxime idoneam: lætiſsimū vero pecori ſuppeditat pabulum. Hinc lactis ad conficiēdum caſeum affluentia tam laudatę bonitatis, vt ſummus commendationis gradus illi tribuatur. Nec huic quiſpiam ſanæ mentis homo Lunenſem comparauerit, nam multo inferior reperietur. Quidam aiunt Laudenſem eſſe omnium præſtantiſsimum, ſed de hoc ego qui nihil præter auditum habeo, nihil certi poſſum affirmare. Fænum quod paſſim in agris naſcitur, ad tantam prouenit luxuriem, & vbertatem, vt ſemel, iterum, & tertio quotannis ſecetur. Inde pecorá mira exube-*

rant pinguedine, ſed non ea tamen, vt niſi quotidie ſanguis ab auribus eximatur, ſuffocentur, quemadmodum (vt ait Strabo) in agro Catanenſi, et in Erythia prouenire ſolet. Cauſa fertilitatis eſt humor, qui ex Pado, & alijs fluminibus manat, radiceſq; ſubit, toto fere ſolo propter venas aquarum reſudante. Quo gignendæ herbæ nihil aliud eſt aptius. Habet etiam ager Placentinus fontes ſalſos, ex quorum liquore: ignis opera, ſal cădidiſſimus cŏficitur. E terrę cauernis, quas ferrifodinas appellant, ferrum elicitur, res (vt inquit Cicero) ad colendos agros maxime neceſſaria, & authore Solone, ipſo auro præſtantior. Nec caret ſyluis, in quibus & feras venari, & aues aucupari, materiamque ad conſtruendas domos, naueſque ædificandas, poſsis cædere. Vrbs ipſa tota eſt muris firmiſsimis, perpulchriſque cincta, & foſſis bene altis, atque aqua e fluminibus deducta plenis, ciuium vero virtus apprime concors, ipſa mœnia, et propugnacula multo tutiora facit: nă concordes ciues vt (de Spartanis dicere ſolebat Ageſilaus,) firmiſſima pſidia, & munimenta ſunt ciuitati. Arcem (quam ακρόπολιν Græci vocant) habet munitiſſimam, Mediolanenſi pene parem, & ad gerendum contra Inſubres bellum, & totius Galliæ ciſalpinæ ciuitates, admodum commodam. Sexquimiliario diſtat a Pado, qui ad mercaturæ commoditatem, & abundantiam effoſſa, proſciſſaq; terra, per longum, & amplum canalem immiſſus, vſque ad vrbis mœnia perducitur, vbi portum efficit nulla fluctuum agitatione perturbatum. Huc nauigia ſecundo amne remis acta, aduerſo vero, ab helciarijs equis tracta, ex omni terra, marique conuehunt, quidquid vel anni tempora gignunt, vel regiones ſingulæ, arteſque tum noſtrorum, tum externorum populorum proferunt: terramque ipſam per ſe frugiferam, & fructuoſam, rebus omnibus uberrimam, et copioſiſſimam reddunt. Aedes ciuium magnę omnes, frequentes, & magnifice extructæ. Plateæ, foraque ad recipiendum hominum conuentum ampliſſima, lateribus ſtrata, & ſupra modŭ munda. Fornices ſub quibus hyberno, æſtiuoq; tempore, ſua bona vendunt venditores, ſuperbiſſimi. Templa diuorum (quod non parua laus eſt ciuitatis,) auguſta, ſarcta, tectaque omnia. Viæ ſi climatum aſpectum conſiderabimus, tam quæ ab Auſtro ad Boream, quă quæ ab ortu ad occaſum tendunt, rectæ ſunt, & ad tantam latitudinem extenduntur, vt per eas duo vehicula ſimul iuncta, ſine impedimento ire poſſint. Earum latera ſunt munita lateribus, medium quod plauſtris, & ſarcinarijs iumentis teritur, ne ferratis curruum rotis, aut quadrupedum ferreis ſoleis poſſit excauari, totum eſt duriſſimis ſilicibus com-

plana-

planatum. Et quoniam nulli uentorum vrbs ipſa eſt expoſita, vias nullas habet obliquas, quæ ſua obliquitate, meatibuſque perplexis, atque inexplicabilibus, vẽtorum vim frangerent. Sic enim apud Vitruuium, mirabilis quidam architectus, ciuitatem neſcio quam, ex peſtilente ſalubrem reddidit. Hæc præclariſſima vrbs cum a Boijs direpta, euerſaque, ſine habitatoribus iaceret inculta, atque omnino deſtituta cerneretur: Senatus, populuſque Romanus qui illam ob fidelitatem, & in bello Punico egregie nauatã operam, plurimum diligebat, nouos còlonos illuc per triumuiros de ſua gente deducendos curauit, vrbemque validioribus mænibus cinxit. Ob agri vbertatem, multi qui vltro nomina darent, reperti ſunt. Itaque ſex millia Romanorum eo ducta eſſe nõnulli ſcribunt. Ex his igitur duobus populis, Troianis, & Romanis, Placentia conſtat, quorum alteri, opibus, & virtute Aſianis omnibus præſtitere: alteri maris, & terrę imperio potiti, cunctis nationibus imperauere. Leges quibus inſtituta eſt, non vt illæ Solonis, ſanguine ſcriptæ, ſed æquiſſimæ, & pauciſſimæ, nam viuendi ritus non ſunt vt in alijs vrbibus, deprauati. Magiſtratus a quibus regitur, et gubernatur, ſanctiſſimi: mirifica populi manſuetudo: maxima ciuium concordia: ſingularis virorum humanitas: incredibilis mulierum pudicitia: tota denique ciuitas ſancta religione, probiſque moribus condecorata, & niſi res eſſet omnibus notiſſima, referrem collium amænitates: dicerem copiam rerum, per terram carris, per fluuium nauigijs conuectam, recenſerem villarum, & pagorum frequentiam, numerarem caſtellorum multitudinem, quę ad nonaginta męnibus, et foſſis cincta eſſe dicuntur: non relinquerem hortorum perpetuo virẽtium ſuauitates: commemorarem pomaria, Alcìnoi & Adonidis viridarijs elegantiora: non ſilerem olerum copiam, & bonitatem: non omitterem piſcinas, in quibus multi boni piſces nutriuntur: non tacerem vineta, ex quibus optimi cuiuſque generis vina percipiuntur, & ea præcipue, quæ a Galeno Ochra, & Xantha appellantur: ſilentio non inuoluerem amnium, fontiumque vbertatem: non præterirem oleas, & reliquas plantas, cum ad voluptatem, tum ad vtilitatem mortalium, ex externis, & longinquis regionibus petitas. Vnum tantum arborum genus in agro Placentino deſideratur, quod ex Media, Aſſyriaq́, in Italiam trãslatum, Medicum, Aſſyriumque nominatur, hoc enim in calidioribus tantum locis innaſcitur, vim frigoris perferre nequaquã poteſt. Habet pro his alias arbores, quæ hyemis aſperitatem adamantes, mitiſſimos ferunt fructus, quo

rum

rum maximus eſt in hac regione prouentus. Tria illa priſcorum gentium numina, Ceres Liber Minerua nullibi frequentius ſunt, quam in agro Placentino: Nam ſi ſegetes quærimus, nullibi lætiores proueniunt: ſi vites, nullibi dulciores vuas ferunt: ſi oleas, nullibi baccarum vbertate, rami magis incurueſcunt. Habitat hic etiam Bellona Martis ſoror, & armorum dea, nam fortium iuuenum multitudo bellicis ſtudijs vehementiſſime ſe exercet, & rei militaris gloria, nullis gentibus etiam laudatiſſimis concedit. Cum ſereniſſimus Io: Auſtriacus e bello Naupactiaco victor rediret, & a Duce OCTAVIO *magno honore, lætiſq; acclamationibus Placētię fuiſſet exceptus, iuuenes vri animi quadam generoſitate præfulgidi, vt tanti Herois optatiſsimum aduentum, non æterna triumphi laude, ſed ſingularibus honoribus decorarent, quædam ſpectacula edidere, tanto quidem cum apparatu, magnificentia, & dexteritate, vt heros Auſtrius neque ludos magnificentiores, neque iuuenes bello aptiores, vnquam vidiſſe iureiurando affirmaret: idem quoq; dixerunt Proceres, qui cum illo erant. Vrbis patronus, & præſes eſt diuus Antoninus: quem omnes pie, & ſancte venerantur: ad hunc in rebus aduerſis confugit ciuitas: huic triſtiſsimis temporibus ſupplicat: ab hoc in graui fortuna opem petit. Eius ædes eſt egregio opere conſtructa, vbi in arca quadam lapidea illius corpus requieſcit. Habet etiam Placentia alios diuos, diuaſque tutelares, nempe Cyprianum, Sabinum, Iuſtinam, & Victoriam: quibus interceſſoribus, ciues omnia quæ a Deo petunt, obtinent: nam iuxta Papinij ſententiam, qui diuos, diuaſque Dei pie colit, & veneratur, illorumque patrocinio in ſua cauſa vtitur, Deum habebit amicum, & fautorem. Ciues veſtri omnes acri, & acuto ſunt ingenio, Chriſtianę religionis, diuinique cultus ſeruantiſsimi, præterea ſupramodum liberales, nam carmē illud in Placentinos, Ora Placētini libera, auara manus: omnino falſum eſt, et ab aliquo natura maleuolo, & mendaciorum fartore diſſeminatum. Quis enim eſt tam bonus, & innocens, cui inimicorum fraude accidere nō poſſit, vt falſi de eo rumores diſsipentur? Quis ignorat, pleroſque eo natos eſſe ingenio, vt melioribus ſemper inuideant? & cum lædere alia ratione non poſſint, confictis rumoribus detrahere ſtudeant? qui quoniam falſi ſæpenumero deprehenduntur, & ab ijs conficti, qui nobis male volunt, nullam eis fidem habendam eſſe cenſemus. Claudia virgo veſtalis, quod elegantiore cultu vteretur, impudica crederetur, id tamen poſtea falſum deæ etiam Cybeles teſtimonio compertum eſt. Poſſem multa ad hanc rem afferre exempla, ſed illis quia ad*

finem

finem mea properat oratio, ſuperſedeo. Sunt etiam Placentini omnes ad vnum hoſpitales, benigni, humani, & officioſi. Hoſpites vltro conueniunt, domi perlibenter hoſpitio accipiunt, menſa communicant, humaniſsime tractant, nullumque erga illos humanitatis, & beneficentiæ officium prætermittunt: Cum ad eos Dux noſter Octauius ſe confert, nullus propemodum eſt dies, quin lautiſsimis conuiuijs, cibiſque exquiſitiſsimis, cum inſignioribus Aulicis ab aliquo patritio accipiatur. Me certe quãdiu apud illos fui, (fui autẽ multos menſes,) non vt peregrinum, & aduenam, ſed vt indigenam, & ciuem, eximia comitate, & beneuolentia complexi ſunt. De qua in me obſeruantia, & hoſpitalitate, tantum me illis debere fateor, quantum ciuibus meis, quibus non modo plurimum, ſed me ipſum quantusquantus ſum, debeo. Quamobrem vbicunque locorum fuero, ingenue, & libere (qui meus eſt mos) apud omnes fatebor, nihil uſquam a me illis liberalius, nihil benignius, nihil beneficentius uiſum eſſe: addo etiam nihil nobilius, & magnificentius. Vt ruſtici terram optime colere, ſic vrbani omnia munia publica rectiſsime obire didicere. Puerorum liberalis, ingenua, & modeſta eſt educatio; abeſt ab illa ætate commune multis vitium, arrogantia, & inſolentia. Adoleſcentes in armis, & liberalibus diſciplinis exercẽtur. Mulieres tã primariæ, quã plebeiæ, non ſtata forma, qualẽ volebat Ennius, ſed inſigni, et egregia, vt nihil ſupra: nõnullæ tamen ex nobilioribus, quod de Vlyſſe cecinit Homerus, facundæ magis quam formoſæ, ſed tanta earum eſt humanitas, facilitas, comitas, & regius prope ſplendor, vt cum quibuslibet reginis poſsint comparari. omnes vero ad vnam decentiſsimo ueſtitu vtuntur, ex quo fit, vt multo pulchriores quam ſunt, appareant. Iuuenes non creſcentes in caput, & Pygmei, ſed procera ſtatura, fortes, & Crotoniatis quam ſimillimi, qui (vt ait Cicero in rhetoricis de inuentione) viribus, & dignitate cæteris nationibus anteſtetere: & vt ſubdit maximus geographorum Strabo. Poſtremus illorum, primus erat Græcorum omnium. Exercitatione corporum, & victus ſobrietate, eò magnitudinis peruenere, vt inter primos: & maxime ſtrenuos Galliæ ciſalpinæ populos numerentur. Dubitare iure potes Placentia, vtrum plus debeas Troianis, qui te ædificauerunt, an Romanis, qui te ab hoſte captam, & habitatoribus vacuam, nouis colonis impleuere? multoq; illuſtriorem quam prius eras, reddidere? Nam hæ duæ totius orbis terrarum nobiliſsimæ nationes, certaſſe mihi videntur, in te vna excolenda, atque illuſtranda. Nunc quod tibi maxime glorioſum, & palmarium eſſe ſtatuo, in poteſtate

es non

es non Caligulæ, non Commodi, non Neronis, aut alicuius impuri, & obſcuri Ducis: ſed OCTAVII FARNESII, *cuius tanta eſt virtus, & perfecta prudentia, vt eum vel inuito Momo, amici pariter & inimici omnibus Principibus, qui hodie Solem intuentur, præponere non dubitent: Iuſtitiæ vero laudibus tam inſignem eſſe confitentur, vt cui comparent, habeant profecto neminem. Patris in te exornanda rationē ſequetur filius* ALEXANDER, *qui re, & nomine* ALEXANDRVM *illum refert, cui ob rerum geſtarum magnitudinem, magno cognomen fuit: armis, & legibus iuxta Iuſtiniani ſententiam inſtructus, pacis tempore, bonarum literarum ſtudia excolit, quietumq; ſeruat ſtatum ciuitatis: imminente bello, exercitum in hoſtes ducit, & munitiſſimas quaſque vrbes euertit. Nec ab eo degenerabit eius filius, & diſcipulus meus Ranutius, eximia indole, et magna ſpe puer, qui cū illuſtris illuſtrium auorum ſuorum veſtigijs incedat, nihil niſi altum, regium, & immortale cogitat, credere debemus, ac firmiter ſperare, ipſum non patre modo, & auo, verum etiam reliquis maioribus ſuis præſtantiorem futurum. Nam* FARNESIORVM *generi diuinitus datum eſt, vt Proceribus Chriſtianis virtute præluceat, & priſcorum Heroum numerum adaugeat. Cum adoleuerit: finès ditionis tuæ propagabit, teque omnibus ornamentis ornabit. Nec ſane iniuria, nam digna es, quæ defendaris a fortibus: illuſtreris ab Heroibus: diligaris ab omnibus. Quis vulgatam virtutem tuam prædicet? quam nullis Italiæ vrbibus inferiorem demonſtrare poſſem, ſuperiorem vero quam plurimis. Et ſi vrbs eo laudabilior eſt, quo vicinas habet vrbes præclaras, & meliores: addo ad hoc, magnarum vrbium propinquitatem. Es enim in Gallia ciſalpina, quemadmodum erat olim Croto in magna Græcia, quæ ex vna parte finitimam habebat Sybarim, Thurios, Lagariam, Metapontum, Tarētum: ex altera Locros, Rhegium, Hiponiū, Vibonem, Syracuſas. Proximam ex vno latere habes Parmam, Rhegium Lepidi, Mutinam, Bononiam. Ex altero Mediolanum, Ticinum, Cremonam. Vicina es Ferrariæ, Mantuę, Genuæ, Venetijs, ex quibus vrbibus, tanquam ex ipſis Italiæ prædijs, omnia bona tibi ſuppeditātur. Ex te contra velut ex quodam promptuario, ad has omnes, multa ex tuo agro nata comportantur, quæ ſunt non fructus modo, ſed etiam frumentum, vinum, caſeus, pecora, cæteraque eius generis, quæ peregrinorū vſus appetit, et ad victum ſunt maxime neceſſaria. Ne tecum agam pluribus mea Placentia, inter tot ampliſsimas vrbes media conſiſtens, ad imperandum apta nata es, ex vicinitate ciuiū ſubiugandorū*

facul-

facultatem nacta. Quis populi tui multitudinem pro dignitate in cælum tollat? Quis nobilium virorum frequentiam non miretur? Quis prudentiſſimorum ſenum ſapientiam non ſuſpiciat? Quis iuuenum fortitudinem non commendet? Quis nobiliſſimorum artificum fabrefacta opera non celebret? Quis elegantiſſima vrbis ædificia non ſtupeat? Tot vero magnifica ſanctiſsimorũ patrũ cœnobia, tot caſtiſſima ſacerdotũ collegia, tot religioſarum matrum ordines, tam incredibilem frugum vbertatem, tam ingentes opes, non fraude, non auaritia, non vſuris, ſed bonis artibus, & honeſtis mercaturis faciendis, ad magnificentiam, & liberalitatem quæſitas, grandi præconio laudans, cum admiratione quadam non exclamet? o Placentiam feliciſsimam, o vrbem dijs, hominibusque chariſsimam. Tu ſedes es literatorum virorum: Tu domicilium ſtrenuorum militum: Tu Galliæ togatæ lumen: Tu Italiæ ſplendor: Tu Romani imperij decus, & ornamentum: Tu firmiſſimum Chriſtianæ reipub: contra barbaros propugnaculum: Tu diſciplinarum emporium: Tu virtutum omnium exemplar: Tu vitæ bene agendę magiſtra, atque vniuerſi denique orbis terrarum deliciæ, & communis omnium ſtudioſorum patria. Nihil eſt quod quiſpiam dicat, vrbem maritimam mediterraneæ præponendam: quod propter mare, quod Gręci θάλασσαν ἀγαθῶν *appellant, ad mercaturas faciendas ſit accomodatior, fructusque exportare, importareque haud magno negotio poſsit. Nam ſi rem exactius perpendere voluerimus, multas vrbes nullam aliam ob cauſam euerſas fuiſſe intelligemus, niſi ob maris commoditatem. Carthago vrbs antiqua, iuſſu deorum condita, & rerum geſtarum gloria in immẽſum aucta, pecunia, milite, & nauibus, quibus abundabat, confiſa, Siciliam occupauit, & amiſit: in Hiſpaniam traiecit, & inde deiecta eſt: Sardinia quoque quam adepta fuerat, multata eſt: poſtremo illam Scipio ne alijs eſſet infeſta, Romaniſque amplius nocere poſſet, funditus deleuit. Hoc ipſum mare Athenienſes quondam nõ tam celeriter auxit, quam afflixit. Corinthus inter duo maria, Ionium, & Aegæum quaſi ſpectaculo (vt ait Florus) expoſita, ob idem mare, a L. Mumio iubẽte ſenatu, ſolo ęquata eſt. Vrbs mediterranea ſuos ciues ſeruat incolumes, multoque ſtabilior habetur: quæ intenta agriculturæ, multo vberiores fructus, certiuſque percipit lucrum, quam maritima ex ipſo mari. Quod licet habeat prouentus celeres, & expeditos, incertam tamen reddit ipſam negotiationem, nam maritimi quæſtus vt cito ueniunt, ita & cito abeunt. Huc accedit, quod vrbs maritima uarijs ſubinde negotijs & mutabilibus iactatur: agri quoque a*

culotribus non raro deſeruntur, propter incurſationes continuas piratarum, qui nauigantibus infeſti; portubus, caſtellis, oppidiſque ſunt timendi, & non ſemel ſublatis nauigationibus, & ciuitatum inter ſe commercijs, populis maritimis grauem famem inuexere longo tempore. Thraces homines prudentiſſimi abſtinent a mari, nec ad littora deſcendunt, metu præternauigantium. Quid aliud ſignificare creditis fabulam Palladis, & Neptuni de nomine Athenis imponendo, niſi vt relicto mari, terram coleremus? nam cum alter ad nauigationem, altera ad agriculturam ciues hortaretur: Mineruæ ſententia potior viſa eſt. Itaque urbem a ſe denominauit, & ut ſuam ad bellum, & pacem abunde inſtruxit. Omnes olim regiæ mediterraneæ fuerunt: hinc ita creuere Romani, Medi, Perſæ, Aſsyrij, & cæteri. Si cui vero difficili, & moroſo huiuſmodi meæ rationes non ſatisfaciunt, aio Placentiam loco maritimæ haberi poſſe: nam Pado qui triginta magnis fluuijs auctus, in mare Adriaticum ſe exonerat, vice maris vtitur, quo tot lintres appelluntur ſingulis anni temporibus: totque omnis generis merces afferuntur, vt nihil a mari differre videatur. Hic ſiluri, & tructæ ad tantam creſcunt magnitudinem, vt cum Thynnis, & Xiphijs Zanclæis poſſint comparari. Capiuntur hic etiam anguillæ, cyprini, barbi, et tinchæ ſcitiſsimi ſaporis, atq; alij innumerabiles piſces, quorum nomenclaturã longum eſſet percenſere. Erat Placẽtiæ fanum Bellonæ deæ tutelari Placentinorum dicatum, admodum nobile: quod ſingulari veneratione a ciuibus, & externis nationibus colebatur: eius ara lapidea cum fundamenta palatij iacerentur, cum hac inſcriptione inuenta eſt. Ara Bellonæ. Hinc certiſſimam capio cõiecturam, Placẽtinos rei militaris gloria, reliquis Galliæ citerioris populis præſtitiſſe, cum Martis ſororem coluerint, atq; illi opere magnifico templum erexerint, ad quod veluti Romani ad Capitolium, hoſtium ſpolia ferebãt. Plerią; omnes nobiles per vicos, & pagos (vt mos eſt Gallorum ciſalpinorum) diffuſi, hyemem iuxta æſtatem habitant, eorum tamen filij in vrbe ab eruditiſsimis præceptoribus erudiuntur: quos inter duo maxime florere videntur, Sanctinus Corſinius, ſenex, & ſacerdos ſanctitate vitæ, & eximia doctrina conſpicuus: & Petrus Porta iuuenis optimis moribus, & omni genere literarum clariſſimus. Ex illius ludo omnes propemodum iuriſcunſulti, medici, poetæ, et oratores, qui nunc Placentiæ ſunt, prodiere. Ex huius ſchola, nullus eſt annus, quo plurimi diſcipuli ad celeberrima Italiæ gymnaſia proficiſcãtur: vbi cum ad maturam ſuorum ſtudiorum meſſem perueniunt, domum reuertuntur,

tur,

tur, atque hic lege patria, & maiorum ſuorum inſtituto, magna cum laude, & celebritate, aut iuriſconſultorum, aut medicorum inſignia ſumunt. Erat hic etiam omnium ſcientiarum gymnaſium adeo florentiſſimum, vt omnes Galli ciſalpini ad accipiendum ingenij cultum, eo certatim confluerent. Sed cum bona veſtra venia dixerim Placentini, quorundam ciuium vitio, incuria, & auaritia, ita concidit, atque exciſum eſt, vt ne veſtigium quidem illius videatur. Si dicendi vi, atque vbertate orationis, tantum ego hodie Placentiæ poſſem, quãtum aut olim Athenis Demoſthenes, aut Romæ eloquentiæ parens Cicero, vobis facile perſuaderem, illud ſine cunctatione inſtauraretis, primiq; ſubſellij profeſſores grandioribus ſtipendijs conduceretis, qui illic bonas diſciplinas ad ſtudioſorum iuuenum vtilitatem profiterentur. Quid enim pulchrius, utilius, aut decentius in vrbe bene inſtituta eſſe poteſt, quã huiuſmodi loca habere? in quibus ab infantia ita ſe exerceant adoleſcentes, vt cum ad perfectam ætatem venerint, rempub: prudẽter, & honorifice gerere, & ſumma cum laude adminiſtrare poſsint? Equidem nulla re magis laudandos cenſeo Athenienſes, quam quod pulcherrima orbis terrarum gymnaſia habere curarunt: ad quæ tanquã ad omnium diſciplinarum emporium, bonarumque artium officinas, omnium ordinum, atque ætatum diſcipuli, undique turmatim confluebant. Quod niſi factũ fuiſſet, neq; tot nobiles philoſophos, neq; tot egregios oratores, neque tot clariſsimos poetas habuiſſent: neque in ea ciuitate omnes bonæ artes, ortæ, educatæ, & perfectæ fuiſſent. Agite ergo mei optimi, & magnanimi Placentini, euerſum gymnaſium de integro exædificate, a fundamentis erigite, in meliorem formam effingite, ad hanc cogitationem, & curam animum conuertite, atque efficite, vt quemadmodum in Gallia citeriore primi fere eſtis in rebus omnibus, poſtremi in hoc magnifico opere non videamini. Id nullo negotio efficere poteritis, nam opibus, & diuitijs quæ ſunt ad gymnaſij inſtaurationem neceſſariæ, abundatis, & eum Ducem habetis, qui ſua liberalitate, & munificentia veſtrum hoc egregium factum plurimum iuuabit. Quod ſi ad finem vt omnes boni ſperant, & optant, perducetur: quos non imperatores, quos non reges ſuperabitis? quos magnificentiæ fines nõ trãſibitis? Philoſophia, et iuris ciuilis ſciẽtia in gymnaſiũ veſtrũ poſtliminio redibũt. Eodẽ diuertent Grãmatica, et Dialectica: facultas medica frequentiore cultu tractabitur: magnusque oratorum, et poëtarum numerus ibidem conſpicietur. Ipſa vero Theologia nullibi maiore cum fructu edocebitur. Certo ſcio vos qui ardore quodam ani-

mi & ipſa virtute ad res magnificas, & excelſas inflammati ferimini, maxime ſtrenuam, & validiſſimam operam nauaturos, vt ab eorum praua, & peruerſa opinione diſcedatis, qui ἄμουσοι cum ſint, καὶ κοροίβου ἠλιθιώτεροι omnes ſui ſimiles eſſe volunt, & quiduis potius quam bonas literas ad vrbem importandum curant. Nihil vos impenſa, nihil ſumptus, nihil pecuniæ profuſio terreat; quo minus inchoandæ rei ſupremum faſtigium imponatur. Verſetur vobis ante oculos, atque in conſpectu ueſtro ſit ſemper, qualem ſi hoc opus regium, & omni laude digniſſimum perfectum fuerit, ciuitatem poſteris veſtris ſitis relicturi, qui ingeniorum prouentus in ea futurus ſit: quæ ſtudioſorum iuuenum copia: quæ bonarũ literarũ meſſis. Patiemini bone Deus uos in hac re à Ticino ſuperari? quę vrbs neque uetuſtate, neq; nobilitate, neq; pulchritudine, neq; agrorum vbertate, neq; murorũ ambitu, et firmitate, neq; patriciorum numero, neque ciuium multitudine, neque opum, & diuitiarum affluentia, Placentia veſtra maior eſt. Quid eſſet Salernum in Picentinis? quid Taurinorum Auguſta apud Allobrogas? quid Lutetia Pariſiorum in Gallia? quid Salamantica in Hiſpania? niſi celeberrima diſciplinarum gymnaſia haberent? Multa ſunt quæ exornant Patauium, multa quæ decorant Bononiam, multa quæ nobilitant Neapolim, Sed nihil (mihi credite) has nobiliſſimas vrbes magis præclaras facit, beatioreſque reddit, quam ea quæ florentiſſimis gymnaſijs, continentur. Si poteſtis habere domi, ubi liberi veſtri ſe exerceant, & in doctos & magnos viros euadant, cur illos mauultis in externas vrbeis mittere? & in aliena regione, non ſine veſtro ingenti ſumptu, & incommodo alere? Vbi plerunq; tantum abeſt vt ea quæ cupitis, conſequantur, vt oleum, & operam quandoque ludant, & q̃m domum ad ſuos inglorij, votique impotentes redire verecundantur, aut in militiam proficiſcuntur, aut ſi bello, & armis apti non ſunt, in quouis loco malunt: quam in eo viuere, vbi nati, educati, atque inſtituti, ſunt. Apud Spartanos lege cautum erat, nequis peregrinari poſſet, & recte meo quidem iudicio, nam qui peregrinantur, & trans mare, currunt, cælum (vt ait Horatius) non animum mutant, & peiores etiam in patriam reuertuntur. Quæ cum ita vera ſint, vt nemo ſit tam ſtolidus, quin ſentiat eſſe veriſsima. Curate vt liberi veſtri pulcherimum habeant gymnaſium, quod non ſine magna itineris impenſa uiſant Galli: adeãt Hiſpani: frequentent Itali: Germani venerentur: ſuſpiciant Heluetij: & omnium denique nationum diſcipuli, ſatraparumq;, et dynaſtarum filij pulchrum ducant, in quo

ſe exer-

ſe exerceant, & erudiantur. Si quod ego verbis dixi, uos opere effectum dabitis, omnes bonarum literarum ſtudioſi, partim oratione ſoluta, partim vario carminis genere, veſtras laudes perſequentur. Et quod totius rei caput, & fundamentum eſt, veſtri adoleſcentes ſine multa impenſa, doctiſsimi, et peritiſsimi fient: & ad ciuitatis gubernacula accedentes, trãquillitatem communem, publicamque quietem multo melius quam maiores veſtri conſeruabunt. Dixi.

FVLVIVS PELVSIVS CROTONIATA ad Alexandrum Maninum Romanum.

Per docte, & amabilis Manine,
Inter qui ſimiles tui Quirites
Fulges ingenio, & tenellus audes
Lyram Pindaricam, atque Horatianam
Plectro tangere, ſi vacat, precamur,
Veni Dædaleo ocyus volatu
Huc ad delicias Crotoniatæ
Poetæ lepidi, & perelegantis.
Nanque blandiculos, venuſtulosque
Vates diligis impotenti amore.
Leges aureolum, & nouum libellum,
Quo venuſtius, elegantiusque
Nil eſt: ſeu cupias Catullianos
Modos, ſeu numeros Tibullianos,
Seu quas ſcribere litteras difertus
Solet Tullius ad ſuos amicos:
Illos dum monet, arguit, ſalutat.
Momi, Zoili, & improbi Theones
Qui morſu lacerare viperino
Conſuerunt monumenta litterarum,
Cum malo didicere: quid verendus
Meus patruus hic Crotoniata
Et iuncto pede poſsit, & ſoluto:
Nam linguæ eloquio, ſuiſque iambis
Monſtra hæc tergemino cani voranda
Trudit ſæpius Inferos ad imos.

IANI PELVSII CROTONIATAE LVSVVM.

LIBER VNVS.



PARMAE. CIƆ IƆ LXXXI.
Ex Officina Eraſmi Viotti. Permitt. Santiſs. Inquiſit.

CROTONIATA FVLVIO Peluſio ſui fratris filio S. P. D.

HAs noſtras vigilias ea lege, & pacto ad te mittimus, vt quam ſimillimo munere abs te penſentur. Quod perfacile efficies: ſi a iuris Cæſarei, Pontificijque ſtudijs feriatus, ad manſuetiores Muſas deflexeris: noſtræque patriæ laudes ſcribere aggredieris. Hæc enim vrbs literis, & armis olim florentiſſima, ac magnæ Græciæ caput, & totius Italiæ lumen, & ornamentum, a præſtantioribus ingenijs, quale tuum eſt, meret celebrari. Potuiſſem (non inficior) meas lucubrationes alicui Heroi conſecrare, ſed ea propter id facere nolui: quia quæ eſt huius ſeculi infelicitas: eo mores decidere, vt qui ſe Principes, & nobiles eſſe gloriantur, nihil magis ob eſſe nobilitati putent, quam literas diſcere: cum nihil contra magis eam illuſtret, & ornet, quam ſi ipſi fuerint eruditi. Cuius rei teſtis eſt Numa Pompilius, Alexander magnus, Iuba Mauritaniæ rex, Mithridates, Iulius Cæſar, Scipio, Annibal, Nerua, Iulianus, Septimius Seuerus, & ſexcenti alij omnibus bonis artibus, & ſcientijs ornatiſsimi. Iſti vero principes, qui ſapientiam in nihil ſapiēdo poſuere, nihil profecto a Licinio Imperatore mihi differre videntur: qui literis adeo infeſtus fuiſſe dicitur, vt virus, ac peſtem publicam eas appellaret. Proinde nil mirum, ſi cum literatorum virorum monimenta legunt, quia non intelligunt, negligunt: tantumque abeſt, vt illos aliqua liberalitate proſequantur: vt præclare actum cum eiſdem exiſtiment, ſi hilari vultu, lætoque animo eorum munuſcula dignentur accipere. Qui cum tam male de bonis literis mereantur, per me valeant, atque in tenebris vna cum Cimmerijs populis perpetuo deliteſcant. Nihil Hercle mihi erit cum illis amplius, ſed cum tui quam ſimillimis, qui virtutem

quæ vera, ac ꝓpria eſt mater nobilitatis, diuitijs, & inſcitiæ anteponũt. Tu mi Fului meo exemplo, ab his Proceribus procul eſto, & vt cepiſti, ad ius ciuile, & Pontificiũ quam diligentiſsime incumbe: ac ſi mihi gratiſsimum facere deſideras, ad tuum patrem ſcribe, me ad cal: ſeptemb: in Peluſiano ſuo expectet: illic enim antequam vrbem ingrediar, triduo me reficere decreui. Vale & meo nomine tibi, noſtriſque omnibus ſalutem impertito plurimam, Parmæ. nonis Maij CIϽ IϽ LXXXI.

IN LAVDEM NEAPOLIS.

TV ſola præter omnes
Vrbes, mihi locoſque,
Quot ſunt in orbe, rides
Neapolis Maronis
Altrix, virûmque mater
Studioſa candidorum.
Tu ſola præter omnes
Vrbes, locosque, verſu
Iure es mihi canenda.
Bis terna luſtra nanque
Alimenta mi dediſti.
Tuique me potentes
Proceres, virique magni
Coluere honore ſummo:
Vrbs nobilis triumphis,
Belloque clara & armis,
Vtinam in dies, beatos
Tuos lares, tuamque
Frequentiam uirorum
Meliora fata curent.
Mars Ilion ſuperbum
Euertit: & vetuſtæ
Cecidere Thebæ: Athenæ
Sunt dirutæ: iacetque
Carthago celſa, fato
Percuſſa ter cruento.
Semel at fuere poſtquam

Euerſæ

Euerſæ ab hoſte: nunquam
Ad priſtinam redire
Potuere dignitatem.
(Vt arbitror,) nec vnquam
Sors læta uiſet illas.
Tu ſola blanda Siren
Sedes ſuperba regum,
Decuſque dulce, & almæ
Naturæ alumna, poſt tot
Terræ & maris labores,
Meliorque, lætiorque
Ad alta ſurgis aſtra:
Armisque litteriſque
Excellis inter vrbes,
Vt ſol, vel alma Phæbe
Inter faces minores.
Natura larga nunquam
Dotes ſuas, opeſque
Tibi denegat: nec vſquam
Meliuſque pleniuſque
Vires ſuas, ſuamque
Potentiam reuelat,
Quam florido in vireto
Tuo, tuaque terra.
Sunt multa dona, multa
Sunt dona, quæ puellas,
Iuueneſque dulciores
Thraunt tuum ad receſſum.
Amænus vrbis omnis
Situs, ſalubre cælum,
Placidi, bonique mores
Virûm, deûmque cultus:
Cereriſque cum Lyæo
Magna uſque & uſque pugna.
Pomona ſemper ad te
Cum Copiæ beato
Cornu venit: genuſque
Tibi fructuum bonorum

Fert

Fert omne. iunge donis
Tot his, boniſque tantis
Faciem maris ſerenam,
Quæ ſuggerit quotannis
Tot piſcium figuras,
Formaſque: linquo merces,
Ab orbe quas remoto
Celeres vehunt phaſeli:
Non addo perfluentem
Terræ, mariſque donis
Cratera, vbi Cythere
Inter ſuos Amores,
Et Gratias decentes,
Molles agit choreas.
Miretur ergo quiſnam?
Si Romuli nepotes
Toto orbe iam ſubacto,
Partaque pace in omni
Terra, tuum colebant
Littus? tuoſque colles?
Cunctiſque præferebant
Terris, lociſque amænis,
Quos Sol ſuo coruſco
Splendore luſtrat? Ipſe
Si Iupiter ſub aſtris
Legeret domum deabus,
Et ſe, Deiſque dignam,
Legereris vna Siren.
Non addo plura: nec iam
Plura attinet referre.

EX ERINNA LESBIA IN *laudem Romæ.*

ANimoſa Roma Martis
Mihi propago Salue,
Belli auream coronam
Tu fers, domoſque olympi
Colis vel hic in orbe.

Quæ

Quæ fila nent puellæ
Mortalibus, tibi vni
Id muneris dedere:
Labefacta ſceptra nunquam
Geſtes: regatque cuncta
Quiritium poteſtas.
Sinuoſa terga ponti,
Atque ampla dorſa terræ
Tu vinculis coërces:
Statumque cuncta firmum
Locorum vbique ſeruant,
Quot ipſa regna, & vrbes
Moderaris. & ſuperba
Fortuna, quæ virorum
Mutare ſæpe gaudet
Status: & his, & illis
Transferre ſceptra regum,
Tua ſola vela tantum
Implet Notis ſecundis.
Præ nanque ſola cunctis
Sobolem creas valentem,
Habilemque bello, & armis.
Nec tam ferax Lyæus
Vuæ eſt, Ceresque frugum:
Idonea duellis
Mauortis, & Mineruæ
Quam prole tu virorum
Excellis inter vrbes.

In die feſto Epiphaniæ, ad puellas Crotoniatas.

DEVS redemptor gentium,
Qui de beata virgine,
Operante ſancto Spiritu,
Es ortus, & viſibilis
Es factus hoc feſto die,
Nos ſoſpita, nos adiuua
Tuos fideles ſeruulos:
Qui te vocamus ſupplices
Ad cuncta noſtra incommoda.

Audi

Audi preces fidelium,
Et vota ſupplicantium.
Cum tres periti ſyderum
Nouere reges optime
Ex fulgurante ſtellula,
Clariſque vatum vocibus,
Quas ante multo fuderant
Sancto repleti numine,
Quod eſſet infans editus,
Qui natus ante ſecula
Cum Patre, ſancto & Spiritu,
Nutu creauit omnia.
Lares relinquunt patrios:
Septique turba maxima,
(Vt mos requirit regius:)
Carpunt iter velociter,
Breuique tuti ad oppida
Se conferunt Iudaica.
Hic de puello principe
Nato requirunt: auſpices,
Scribæque docti plenius
Quod expeteſſunt, indicant.
Magi triumphant gaudio:
Petuntque recto tramite
Bethlen: videntque vt antea
Lumen coruſci ſyderis:
Quod tecta Chriſti prodidit.
Nam conſtitit (mirabile
Dictu) ſupra cubiculum:
Sub quo latebat inclytus
Chriſtus creator omnium.
Intrant Magi cauernulam,
Cernuntque cum puerpera
Sancta puellum regium.
Curuato vtroque poplite
Mox procidunt: & ſupplices
De more adorant paruulum:
Illumque donant munere

Suo

Suo ſeorſum quilibet.
Et per quietem ab angelo
Docti, nefandi & perfidi
Ne regiam reuiſerent
Herodis amplius: mala
Qui fraude Chriſtum perdere
Parauerat: ſunt altera
Via reuerſi ad patriam.
Inſtructus ipſe cælitus
Nutritius, contenderet
Ad vada Nili: paruulo
Sumpto, & fideli virgine,
Huc protinus ſe contulit.
Pueri & puellæ candidæ
Meæ Crotonis, debita
De mane quæſo & veſperi
Ad aſtra laude tollite
Diem hunc; benignus agnitus
Quo Chriſtus eſt a regibus:
Tingensque corpus flumine
Iordane, noſtra vulnera
Lauit, parentis amputans
Primi ſcelus nefarium:
Aquamque vertit in merum
In nuptijs, ſtupentibus
Quot intueri contigit
Mirabile hoc ſpectaculum.

IN CVLICES

QVid me quid Culices diem, atq; noctē
Crebris morſibus, ictibusque crebris
Tanta cum feritate deuoratis
Viuum? ſic iuuat in bonos poëtas
Sæuire? & furere? Hercule haud feretis
Hoc impune nefas. deæ Mineruæ
Ales noctua, vos vorabit omnes:
Voſque omnes famulus meus cremato

Mali

Mali cortice Punici, fugabit
Hinc vſque ad Stygios, lacusque Auernos.
Non vt lacteolas puer papillas,
Sed vt lubrica ſanguinem tenellum
Hirudo, mihi ſugitis cruorem.
Morte ſternere ſic auetis illum,
Qui donare poteſt perennitate
Vos? & ad Superos vocare verſu?
Iam proboſcide perforaſtis ipſum
Corpus, nec requiem datis: ſed vſque
Hinc, & hinc cruciatis immerentem.
Si lectum petimus, frui ſopore
Per vos non licet: ocyus volatis
Cum ſono horrifico, mihique ſomnos
Dulceis rumpitis: excubo, & laboro,
Si quo prendere vos dolo, vel arte
Poſſim, nil facio. dolos, & arteis
Afri euaditis; & cauetis omnes.
Quis vos a facie mea cubantis
Arcebitque? abigetque? ſi flabella
Crebro mota manu meæ puellæ,
Non arcere queunt? abite ſedes
Hinc ad Tartareas, domosque Ditis.
Sunt muſcæ nimis & nimis moleſtæ,
Moleſti pulices, pediculique,
Moleſtæ tineæque, cimiceſque,
Sed vos omnibus his moleſtiores.
Zetes & Calais iuuenculi olim
Qui Phinëia tecta liberaſtis
A dira volucrum rapacitate,
Hos a me culices malos fugate
Non vſque ad Strophadas, ſed vſque ad Orcum.
Si me videro tot malis leuatum
Et pœnis, opera aut labore veſtro:
Vos ambos faciam aureos, & ambos
Sic in marmoreo colam ſacello:
Elapſi vt pelagi, & Noti periclis
Nautæ Caſtora, Caſtorisque fratrem.

Ex

EX PARMENIONE, MACEDONE.

εἰς αὐτάρκειαν.

SAtis hæc mihi lacerna
Tenuis, cibusque ſimplex.
Seruire nolo menſis
Regum potentiorum:
Donec ſitim licebit
Sedare fontis hauſtu,
Terræque nata pellent
Famem: recuſo Plutum,
Plutique temno faſtus.
Certe eſt mihi puſilla,
Sed libera, & ſoluta
Omni labore cæna.

Ad Catulli verſus parodia de Pęone medico.

LVgete o pueri, puellulæque,
Et quantum eſt hominum politiorum,
Veſter mortuus eſt in vrbe Pæon:
Quem plus ægri oculis ſuis amabant.
Nam peritus erat, ſuumque norat
Phæbum tam bene: quam puella matrem:
Nec ſeſe a placito illius mouebat:
Sed circumſpiciens modo huc, modo illuc,
Phæbi dogmata ſola lectitabat.
Qui nunc tecta abijt tenebricoſa,
Illuc vnde ferunt redire nullum.
Dij vobis mala mille dent tenebræ
Orci: quæ bona cuncta deuoratis.
Tam doctum medicum abſtuliſtis ægris.
O factum lacrymabile, ô tenebræ
Veſtra nunc opera, ægri in vrbe cuncti
Carent Pæone tam bono, & fideli.

Ad Io: Antonium Piſanum regni Neapolitani Archiatrum, & Comitem Palatinum.

O Rem ridiculam, & voluptuoſam,
Dignamque auribus, & tuis cachinnis
Phæbi gloria, filijque Phæbi

Piſane

Piſane eximium decus. miſellus
Cænauit peregrinus in taberna
Odorem ad tenuem caponis aſsi:
Caupo vult ſibi ſoluat ille cænam.
Accepiſſe nihil reus profatur
A caupone: ſuum merum bibiſſe,
Et panem peredisſe clamitabat.
Aequus partibus vtriusque iudex
Auditis: pateram ſibi patentem
Afferri iubet: imperatque nummos
Statim debitor immerens in illam
Sublimi iaceret manu: refertque.
Caupo qui ex tenui dediſti odore
Huic cænam: cape præmium volucris,
Ex numûm ſonitu tibi ſolutum.

Ad Metellum Gryllum medicum, Philoſophum, & patricium Salernitanum.

SI per tot licet occupationes,
Quibus nocte dieque diſtineris,
Audi attentius, vt ſoles Metelle
Res audire graues, & elegantes.
Bis denos aſinos agaſo quidam
Onuſtos tritici farina ad vrbem
Agebat: rediens grauis moneta
Dein domum: uia longa ne moleſtæ
Eſſet: robore firmiore aſellum
Conſcendit, baculo dolans ſaligno
Dulci gramine ſæpe reſtitantem.
Dum ſuum numerat pecus: relictum
Vnum credidit eſſe, quo Metelle
Agaſo ſtupidusque, plumbeusque
Vehebatur: ad oppidum reuertit.
Illum quærit in omnibus latebris,
In præſepibus omnibus: nec vſquam
Feſſus repperit: ad ſuam rediuit
Nocte vix media domum. reperto
Illo mane domi: putauit illuc
Tam longe memorem viæ rediſſe.